


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
2 A
9



GEORGII TRAPEZVNTII DE RE DIALECTICA LIBER,

Scholijs IOANNIS NEOMAGI, & BARTHOLOMAEI LATOMI *illustratus.*

ACCESSIT GEORGII VALLAE Placentini de expedita ratione argumentandi libellus, cum PETRI MOSELLANI Protegensis in eiusdem Categoremata ac Categorias Scholiis.





LVGDVNI,
APVD HAERED. SEB. GRYPHII,
M. D. LIX.

ELENCHVS EORVM, quæ in hoc libello continentur.

IOAN. NOVIOMAGVS SPLENDIDAE VETVSTISSIMAEQ; NOBILITATIS ADOLESCENTIBUS, IOANNI AC CONSTANTINO À LIESKIRCHEN S. D. P.





VM anni superioris mensibus hybernis, Georgii Trapezuntii Dialecticã uobis, ac reliquis auditoribus nostris profiterer, adolescentes ornatissimi, nimis uerum esse cõperi, quod sæpenumero de multis etiã doctis audiui, mirum uideri, quòd ex eo libel ,iam in plerisque ludis dialecticæ artis elemẽta pueris tra- rétur, qui (siue id librariorũ incuria factum putemus, siue òd autori priusquam opusculum hoc plenè absoluisset, ali id acciderit) tam mendosus, mutilus ac incõditus circun- tur, ut uix in toto libro pagellã inuenias, quæ nõ insignes quot solœcismos, aut hiulcam etiã habeat periodum: ex a re non rudibus modò, sed & professoribus negotiũ ex- eretur. Doluimus itáq; aliquãdiu & discentium molestos iatus, pariter & scriptoris uicẽ, à quo cùm reliqua omnia endatè satis in lucẽ emissa essent, hoc solum, quod ad ca- m puerorum luculentissimum emendatissimumq; opor ;, ita ut habemus, remansit. Deinde quod proximum erat ectabã ex tot doctorũ hominum prouẽtu, quo seculum, : mirificè felix est, breui fore, qui aut cõmentatione, uel em censura aliqua Trapezuntio & iuuentuti consuleret, lle posteris ... esse, & studiosi ambiguis & cæcis sæpe iectuis, illius sententiã inquirere cogerẽtur. Verùm cùm spe usq; frustraremur, nec quicquã ex Typographia tam imile quàm Trapezuntii Dialectica proueniret, & Ma- s Aquensis uir incredibili morũ modestia ac ir itate (cui hoc nomine iuuẽtus etiã mult m hoc curet, quo grex sibi cõmissus sæpe nos hortaretur, ut iuuentu træ cõmendabatur, in hoc aut inuimus discentiũ animos

mẽdarum monſtris abſterreri. Quod igitur hic primũ erat, plurima ac uetuſtiſsima queq; exemplaria cõſuluimus, quorum unum nec ita lacerum nuper nobis exhibuit, ex Ioãnis Murmellii libris, Ioannes Volſcius Lunenſis, homo ſyncerè doctus: deinde quicquid ab hoc autore de artium præceptionibus relictum eſt, quàm potui diligẽtiſsimè perluſtraui. Sic enim futurum ſperabam, ut ſcriptoris τὴν γνησίαν φράσιν ſubodoratus penitus ad has hydras conficiendas adreperẽ: quo labore cùm nõ ita multum profeciſſem, commodum nobis in mentem uenit Trapezuntiũ in locis pleriſque, præſertim ubi de pronuntiatis coniunctis, definitionibus ac diuiſionibus præcipitur (reliqua enim Ariſtotelis ſunt) ex Seuerini Boëtii traditione ſcripſiſſe: quare omnes ac prolixos illius de re dialectica cõmẽtarios accuratè euoluere, coacti ſumus Ariſtotelis etiam ingens illud λογικὸν uolumen, deinde Ciceronis & Fabii pleraque, quoniam illius exemplis, huius uerò præceptionibus abſtruſiora & in lucem & ad uſum reuocare conatus eſt. Ex qua lectione quoniam ſenſi plurimum præſidii, cœpi primũ craſsiora errata, ex quibus ſæpe ambiguus, ſæpe nullus aut ridiculus ſenſus efficiebatur, expugnare. Deinde clauſulis paſsim ſemiplenis, quod deſiderabatur, apponere, multas quoq; confuſas periodos, nec ſuo loco poſitas in ordinẽ redigere. Breuiter exempla & quicquid lectorem remorabatur, ita ut ingenii noſtri facultas ferebat, reſtituere. Quem laborẽ (quoniã non omnino, ut ſperamus, infeliciter cadebat) auditoribus noſtris, uobiſque ingenui fratres, qui per id tempus nobis commiſsi eratis, cõmunicabam, paſſim adiectis more noſtro adnotatiunculis, quæ uel ad uſum, uel ad explicationem præceptionum facere uidebãtur. Eaq; docẽdi ratio cùm ſtudioſis quibuſdam nõ diſpliceret, uobis, ſed fortè nimio noſtri amore, uehementer probaretur, intellexi uos ſuboptare, ut & huius libelli caſtigationẽ, & ea quæ partim mei admonendi, partim noſtrorum conatus iuuandi [illegible] legeram, in publicum emitterentur. Sed utinã hic [illegible] is iudicio, quàm cõmuni ſtudioſorum utilitati [illegible] impẽsè fauetis. Hoc enim agitis, ut quæ de [illegible] o ſtudioſi quidam ex me audiuiſſent, [illegible] cõſuetudine effundere ſolebam, ad [illegible] m abſentes conſequãtur. A quo

nego

egotio etsi eruditum hoc seculum, delicatum hominum iu
icium, ætatem meã absterrere possint, uincit tamen uester
nor, impellit affectus, ut nostrarum uitium periculum non
ofque periculo faciens, uestris precibus (quæ sanè apud me
urimum possunt) inseruiam. Recognita igitur nostra casti-
itione, collectisque subitò in unum aceruum, quæ sparsim
gnata reperi, emitto hoc quicquid est libelli, ne uoto uestro
car defuisse. Quæ sanè opera, etsi minus elaborata est, uo
s tamen, ingenui adolescentes, quibus impulsoribus nego
im hoc suscepi, in primis dedicanda erat, quod utrique ue
:ûm iuxtà gratissimum esse cognoui, si quo per absentiam
i non liceret, eum in his qualibuscunque commentariolis
ioties liberet (libebit autem sæpissimè) absentes cernere-
:, & nostri erga uos amoris pignus peregrè utrunq; conse
iatur. Accipito igitur charissima indoles Trapezuntii no-
i libellum, pusillum quidẽ hũc, sed citra controuersiam uel
maxima utilem, nostra castigatione restitutum, & scholiis
ce utcunq; illustratum: ex quo si aliqua ad studiosos ma-
rit utilitas, uobis pro me habeatur gratia: sin res aliter ce-
lerit, candidũ lectorẽ rogatum uolumus; tantum ut. co-
tum agnoscat: hanc chartarum iacturam ferat animo non
quo: exemplari emendatiore (si forte nactus fuerit) ut
ne operam uel obscuret, uel etiam extinguat, non inuide
is. Vos ualete, & ad pulcherrimam bonarum artium lau-
m uitæque integritatem fortiter (ut facitis) aspirate, quo
iorum uestrorum imagines ac stemmata, quæ clara acce
tis, in uobis non desinant, præsertim materni aui insignis
odestiæ uiri, quem nuper Consulem CHRISTVS ex hac
olonia in ueram illam suorum ciuium Coloniam non abs
que magno totius penè ciuitatis luctu transtulit. Cu-
ius summam probitatem etsi uincere non possitis,
efficiet tamen seculum, quod uos quàm ille
nacti estis felitius, ut si adhuc apud mor-
tales ageret, nepotum eruditione se
longè superatũ gloriaretur. Rur
sum ualete. Coloniæ, Anno
M. D. XXXIII. Cal.
Mar. è Gymnasio
Montano.

VITA GEORGII TRAPEZVNTII, DILIgenter ex eius operibus collecta.



GEORGIVS Trapezũtius Græcus natione, & Cretensis fuit, ueluti ipse de se testatur in libro Cõmentariorum, quẽ super Aphorismos Cl. Ptol. cõscripsit. Cùm ea insula bello Turcarum uexaretur, unà cum uxore in Italiam uenit, primũ Venetiis literas professus, deinde Romã uenit, quo tempore Eugenius huius nominis quartus Pont. Max. esset. Vir circa omnes disciplinas assidui laboris, utriusque linguæ interpres diligẽtissimus, ac studiosissimus Aristotelicæ Philosophię: atq; tamẽ ab academia Platonis alienus. Sunt enim qui versionẽ operũ Platonis, quę Marsilio Ficino inscribitur, esse putẽt Trapezuntij: sanè ipse Leges Platonis à se esse versas testatur. Rhetor etiã non ignobilis. Ob id Romæ gymnasio præfectus, salario publico multis annis Rhetoricã ac Philosophiã docuit. Deinde à Nicolao quinto Eugenij successore scriba apostolicus factus. Scripsit multa, quibus eruditionẽ posteris cõmẽdauit. Nostra ætate hęc extãt: Quinq; Rhetoricorũ libri, quorũ bonã partẽ (vt uidetur) ex Hermogene trãstulit. Cõmentarius perelegãs in orationẽ Ciceronis pro Q. Ligatio ad Victorinũ. De re Dialectica ad Petrũ Medicẽ Florẽtinũ, hic libellus. Vertit autẽ Aristotelis librũ de animalib. eiusdẽ de arte dicendi, Eusebij de præparatione euangelica, multoq; plura theologica. Vertit & mathematica quædã, Centum uidelicet Ptolemæi aphorismos, quos & cõmentariis illustrauit, quod opus nõdum impressum, apud Ioannem Soterem uidimus, breui fortè proditurum. Eiusdẽ quoq; ingens illud opus, quod περὶ μεγάλης πραγματείας inscri[illegible]r, in quod pariter & cõmentaria scripta reliquit, quæ reprahẽduntur unà cũ uersione ab Ioanne de Monte Regio, iis libris quibus Theon Alexãdrinus defenditur: quare tantã sibi inuidiã comparasse scribitur, ut à Trapezuntij filiis Romæ ueneno extinctus quibusdã credatur. Aemulos habuit, præter eũ quẽ diximus, Theodorũ Gazam, ac Ioannẽ Episcopum

pum Aleriensem, utrunq; iuxtà infestū.De Gazæ aduer-
Trapezuntiū simultate sic ferunt: Scripsit Theodorus in
fatione librorū de animalibus Aristotelis,in quibus præ-
iè cōmēdatur,sese à nullo adiutū, nec adeò certare cum
eris interpretibus, quos uincere,inquit,nullū erat nego
n,cùm libros eosdē Trapezuntius ante ipsum tam luculē
uertisset,ut Latino Aristoteli par decor additus quibusdā
:atur.de episcopo Aleriensi,si quis causam requirat,legat
tolā illam quæ ab eo præfixa est Straboni.Tradunt Tra-
untium in extrema senectute literarū omniū oblitū fuis-
quod fortè non ita uerum uidebitur,si quis epistolā nun-
atoriam legat,qua Andreas Trapezuntius patris sui uer
iem Ptolemęi de magna compositione,summo Pontifici
:o dedicat,scribens patrē Roma ob æmulorum inuidiam
ıpolim discessisse,comiterq; ab Alfonso rege, oblato li-
ali stipēdio,susceptū:pauloq; pòst morte præuētū citius,
m quod in manibus erat perficeret:modò non sit suspe-
n filij pro patre testimonium.Obiit autem hac prole una
:rstite Andrea Trapezuntio,cuius nunc meminimus.

Ars'ne sit Dialectica, deinde quid differant Dialectice ac Logice.

Hilosophiæ partitionem (quā omnes ferè qui in Dialecticis uel Aristotelis , uel aliorū,operā aliquā sumunt, re sent)si quis requirat,Angeli Politiani præfationē in Ari- elē,quæ πανεπιστημονικὸς inscribitur , consulat. Nobis satis ,qui σχόλιον tantum scribimus,ea saltē sumere,quæ uel in parte peculiaria sunt , aut citra quæ hic libellus nō ritè à :tute intelligi potest.Id fiet,si paucis ostendemus,ársne)ialectica.Porrò Quintil. nō obscurè indicat artem esse: niā hinc sumpto argumēto Rhetoricā sub arte cōtineri auit : idē & hæ uoces διαλεκτικὴ & λογικὴ (ambo enim hęc nina sortita est). satis indicāt.Quæ quoniam declinatiōe osita sunt,absolutè nō usurparētur,& quidē in hoc gene iisi perpetua subintellectione τῆς ἐπιστήμης ἢ τῆς τέχνης, quo o c artē,illud scientiā significat. Verū ut propius acceda- ;,paucis etiā aperiemus, si quid discriminis sit inter logi- & dialecticē,& cur hęc ars utrūq; nomē acceperit,quorū à Græco διαλέγομαι, quod est disserere:illud ἀπὸ τοῦ λόγου,

quod modò orationẽ, modò rationẽ & artẽ significat. Sed Dialectica, ut uidetur, antiquitus, ac olim nõ perfectæ artis, sed partis duntaxat nomẽ erat, tantũ in iudicãdo sita, ut quid uerum, quid falsum, quid prauũ, quid rectum in oratione esset, distingueret. Quæ ars primũ à Zenone, qui Pythagoræ temporibus fuit, excogitata fertur, quã Cicero de Oratore lib. I I. διαλεκτικὴν dictam à Stoicis scribit, & ab eisdẽ multis uoluminibus traditam, in quibus nullum de inueniẽdo uerbum esset. Postea Aristot. huic parti scientiam perspiciẽdi, quid in quaq; re probabile esset, adiecit, quam artem λογικὴν uocauit: quòd ea ars rationis, id est, probationis seu argumẽti syluam suppeditaret. Ex quo colligi potest, ueteres studiũ hoc in duas partes fregisse, quod & Cicero quarto De finib. docet in hũc modũ: Cùm duæ, inquit, sint artes, quibus perfecta ratio ac oratio cõpleatur, una inueniendi, altera disserendi, hanc posteriorẽ Stoici & Peripatetici, priorem autem illi egregiè tradiderunt, hi omnino ne attigerũt quidem. Ex quibus liquet Aristotelẽ disserendi rationẽ, quam Stoici solam Dialecticã nuncupant, & inuentionẽ, partes quidem nõ tam natura, quàm tractatione discretas, in unius artis corpus coëgisse, quam promiscuè Logicam ac Dialecticã uocare solet, etsi posteriore utatur sæpius. Quin & Logicen idẽ autor accipit pro ea probandi ratione, quæ è cõmuni sensu & Dialectica sumitur: aliã nanq; quæ ex principijs eius scientiæ ducitur, cui demõstrãdę adhibetur, ἀναλυτικὴν appellat, id quod non obscurum est his qui legerunt libros de demõstrationibus. Alij uolũt ita latè patere logicã, ut omnes eas artes cõplectatur, quæ in oratione uersantur, cui tametsi ἐτυμολογία non repugnet, nescio tamen an aptè dicatur, grãmaticã, poëticam, aut rhetoricam artes esse λογικὰς, cum tamẽ hæ in oratione uersentur. Quare logica à ratione, id est, argumento (nã hoc Græca uox etiã significat) nomẽ habet. Ammonius dialecticã actionis, logicã uerò inspectionis esse scribit, perinde atq; rhetorica & eloquẽtia distant, sed nec hoc obseruari puto. Quare solum illud hic perpetuũ esse potest, elegãtioris linguæ scriptores sæpius dialectices, quàm logices uocabulo uti. Item hoc epitheton, illud artis nomen esse sæpius, præsertim Aristoteli. Porrò de artis utilitate, materia, & fine: item quid à rhetorica distet, Rodolphi dialectica uideatur.

Vt in diuisione philosophia tripartita & apud Rodolphũ lib. ij. cap. ix.

Lib. ij. cap. ij. & iij.

GEOR

GEORGII TRAPEZVNTII DIALECTICA.



IALECTICA est diligens disserendi ratio. Disserere uerò nemo poterit diligenter, nisi quæ inuenerit, dicendáque iudicauerit, ea sic coniunxerit, ut illis datis, quod intendit necessariò consequatur. quam orationem Græci συλλογισμὸν :unt, Latini uerò ratiocinationem appellare possunt. Ea opositionibus constat. Omnis propositio, si simplex est, obus terminis, subiecto atq; prædicato connectitur. Quo ım ergo syllogismorum elementa sunt, ex quibus con= nt, & ad quos resoluuntur (nec enim componendo al= 's repetere, nec resoluendo longius abire poßumus) de primùm dicamus. Verùm dialecticorum more, ut de o termino sermo nobis habetur intelligas, uocem in si= ;ficationes suas primùm diuidamus. Termini ergo, lo= 'um fines appellati sunt, qui locum à loco distinguant sue separent. Vnde Græci similitudine ducti ὅρους, id est, bum de uerbo, terminos, definitiones appellarunt. Di= gunt enim atque disseparant definitiones uniuscuiusq; stantiam, cum differẽtias tanquã terminos generi adij= ıt. Terminos etiam simplicis propositionis partes dici= r, quoniã significatione, quasi conscriptam rem osten= t, quam significant. Hinc est quòd rerũ nomina, impli= s definitiones, & definitiones, explicita nomina rerum,

Termini significatio & num enumeratio.

multi ac clari philoſophi ſolent appellare. Terminum *ergo quem hic dicimus, propoſitionis partẽ intelligimus, quẽ ita definit Ariſtoteles:* Terminus *eſt in quẽ reſoluitur propoſitio.* Eſt *autẽ omnis terminus uel cõplexus, uel incõplexus.*

Termini diuiſio.

Complexus *eſt oratio imperfecta, quæ conſtat multis ſimplicibus terminis, ut, ſcientia iuris ciuilis.* Incomplexus *eſt, ut, homo, ſcientia, facit, currit.* Incomplexus *autem & ſimplex terminus omnis, aut nomen eſt, aut uerbũ: & aut infinitum, aut finitum.*

Nomen.

Nomen *eſt uox ex inſtitutione hominum ſine tempore ſignificans, cuius nulla pars ſeiuncta ſeparataq; ſignificat.*

Verbum.

Verbum *eſt uox ex inſtitutione hominum cum tempore ſignificans, cuius nulla pars ſeiuncta ſeparataq; ſignificat.* Infinita *uerò nomina uel uerba ſunt quibus negatio adiuncta eſt:* Finita, *quæ abſque negatione proferuntur.* Finita, *ut homo, animal, legit, ſentit.* Infinita, *ut nõ homo, nõ animal, non legit, nõ ſentit.* Nomina *igitur appellat Ariſtoteles quæ nominatiuo caſu efferũtur, quẽadmodum uerba ea, quæ ſolum indicant præſens tempus.* Cætera *caſus nominum & uerborum eſſe aſſerit, ut hominis, homini, agebas, agebat, agerem, agere.* Oratio *eſt, inſtitutione hominum ſignificans: cuius aliqua pars ſeiuncta ſeparatáque ſignificat.* Orationum *quinque ſunt genera: Enuntiatiua, imperatiua, deprecatiua, interrogatiua, uocatiua.* Vocatiua, *ut,*

Heus, inquit, iuuenes monſtrate mearum
Vidiſtis ſi quam hic errantem fortè ſororum.

Interrogatiua, *ut,*

Sed uos qui tandem, quibus aut ueniſtis ab oris?
Quóue tenetis iter?

Deprecatiua, *ut,*

Sic pater ille deûm faciat, ſic altus Apollo:
Incipias conferre manum.

Impe

ıcratiua,ut,

)isce puer uirtutem ex me,uerúmque laborem,
ortunam ex aliis.

ıntiatiua,ut,

tat sua cuique dies,breue & irreparabile tempus
)mnibus est uitæ:sed famam extendere factis,
Ioc uirtutis opus. Item:
Iescia mens hominum fati,sortísque futuræ,
t seruare modum rebus sublata secundis.

um omnium sola enuntiatio uerum à falso discernit. are sola huius negotij est: nam cæteræ ad rhetoricam ıs uel poëticam doctrinam pertinere uidentur. Enunıo uerò, alia simplex, alia coniuncta est. Coniuncta ex ılicibus constat, ut, si homo est, animal est. Simplex ı enuntiatio, est oratio quæ aliquid esse uel non esse siıcat secundum quòd ipsa tempora diuisa sunt, ut, hoſt animal. Enuntiatio duplex.

NEOMA.

IALECTICA est diligens differendi ratio.) Definitio est sumpta ab officio: respicit autẽ id quòd à Cicerone tũ est in Topicis ad Trebatiũ, quo loco hac periphrasi ćticã intelligi uult: Omnis, inquit, diligens differẽdi raartes duas habet. Et in principio de Fato dicit, se λογικὴν entẽ differẽdi rationẽ uocare. Quòd autẽ rationẽ uoialecticã, nihil est aduersus id quod superius artẽ esse dis: sępe enim ratiõis uocabulo artẽ intelligimus, ut apud ẽ, Quod etsi ingeniis magnis præditi (de dialectica lo) sine ratiõe cõsequũtur, ars tamẽ dux est certior quàm a. Est autẽ ut loqui quorũlibet, eloqui oratorũ, ita diaorũ differere: in quo uerbo, ut Varroni placet metapho ab agricultura sumpta: Nam holitor, inquit, differit in sui cuiusq; generis res: sic qui oratione quid proposito taneũ, aut consentaneum sit, aperit, differere dicitur. uod ad definitionẽ hanc attinet, uidetur potius esse ex io uocis dialecticę, quã finitio rei. Quare illa Rodolphi or est: Dialectica, ars est probabiliter de qualibet re ısita differẽdi, prout cuiusq; natura capax esse poterit.

Disse

(DISSERERE uerò nemo poterit diligenter.) Indicat Trapezuntius disserenti, seu disputāti duo esse necessaria, alterū ut inueniat, atq; excogiret ea quibus quod defendendum, aut docendū sumpsit, aperiat, ac tueatur: alterū, ut ea quæ inuenit, satisne ad rem probandam idonea sint, examinet. Ex quo fit, ut uniuersa disserendi ratio duabus perficiatur partibus, inuentione ac iudicio. Est autem inuentionis pars ea, quę sedes & locos quosdam argumentorū docet, ex quibus ueluti thesauris ea educuntur, quibus res proposita probari in hāc uel illā partem possit. Hæc ab Aristotele, quòd locos continet, τοπικὴ dicitur: atq; ab eodem octo uoluminibus, quæ inscribuntur Topica, diligentissimè tradita. Altera est, quæ κριτικὴ dicitur, ea regulas ac normas quasdam præscribit, quibus quæ nobis loci exhibuerunt, diiudicamus, aptáne an ineptā sint proposita: nec solum hoc, uerùm etiam canones quibus ueluti perpendiculis scripta aut nostra, aut aliorū, rectè nécne cohæreāt dispicimus: atq; eam methodū qua in sua quisq; arte (rebus tamen præcognitis) quod pronuntiatū uerum sit, aut falsum, iudicamus. Cui seruiunt præcepta de diuidendo, partiēdo, distinguēdo, & colligendo, id est, quod pronūtiatum cui respōdeat, quod sequatur: deinde argumentationum formulæ: quarum si quis planè rudis sit, nō est quòd speret se in ullo disciplinarū genere quicquā facturum. Hanc Aristoteles pro materiæ diuersitate in duas formas secuit. In priorem analyticē, qua ratiocinationū dialecticarum uis & facultas tota absoluitur. Et posteriorē analyticen, quæ est de demonstratione seu syllogismo epistemonico. Vltimam partem, quæ est περὶ τῶν ἐλέγχων σοφιστικῶν, hoc est (ut Cicero interpretatur) de fallacibus conclusiunculis, inuentioni adnumerant. Duabus his dialecticæ partibus elementaria adiecta est, quæ utriusque partis, id est, argumentorum ac argumentationum cōtinet primordia: prædicabilia, & κατηγορίας, quæ Latinè prædicamenta dicūtur, tradens. Ex his partibus Trapezuntius primam ac postremā succinctè in hoc libello tradidit. Quòd inuentionem his nō addiderit, causam esse credo, quoniam pleriq; eam partē rhetori subiecerunt: atque ob id tertio libro Rhetorices suæ locos diligenter tractauit. Porrò id quod subiicit neminē disserere posse, nisi quæ inuenerit, ea in syllogismi formam redigat,

Dialecticæ partes.

Topice.

Iudicatio.

at, non ita intelligendum eſt, quaſi neceſſarium ſit dialec-
:um ſemper ratiocinatione uti. Nam & inductione, enthy
mate, exemploq; ſæpe colligit: ſed quòd ſyllogiſmus alia-
ı argumentationum ſit examen, nec ullæ ſint probatio-
;, quæ in ratiocinationis formam uenire non poſſunt.
'EA propoſitionibus conſtat.) Gradatione inquirit quid
lialectica principium ac minimum ſit.
'OMNIS propoſitio ſi ſimplex eſt.) Duplex enim eſt pro-
itio, una ſimplex, quæ nomine & uerbo continetur, ut
; eſt, hæc prædicatoria uocatur Latinè, Græcè κατηγορική.
:ra cōpoſita, quæ ſimplicibus cōſtat, ut, ſi dies eſt, lumen
hęc uulgò cōditionalis dicitur, de qua loco ſuo copioſi⁹.
QVONIAM ergo ſyllogiſmorum elementa ſunt.) Prima
initia è quibus res ueluti materia conſtant, elementa di-
tur, quo uocabulo Cicero in Academicis στοιχεῖα interpre
:t: ut ſunt terra, aër, aqua, ignis. Sunt & in artibus elemen
timordia illa, à quibus naturali ordine principium ſumi-
ut in grammatica literæ, & ex his ſyllabæ: in geometria
ctus, linea, planum. In dialecticis quoque argumentatio
ı minimę partes: hę ſunt uoces quibus oratio omnis con
ır, nomē uidelicet & uerbum: quæ dialectico ἄτομα ſunt:
ıbarum uerò ac literarum cura grammatico cōmiſſa eſt.
VOCEM in ſignificationes primùm diuidamus.) Ambi-
s enim uoces dialectica non recipit. Quæ ſi fortè incide-
, primū enumeratione ſignificationum aperiendum eſt,
ſignificatu uſurpari debeat: ne ſi ſignificatio incerta ſit,
ubiū ueniat, qua de re ſermo habeatur. Quòd quàm tur-
t, Cicero indicat libro ſecundo de finibus: quo loco Epi
ım lapſum oſtendit, quòd uocabulo uoluptatis nūc hoc,
c illud abſque diſcrimine intelligeret.
TERMINI ergo, locorum fines appellati ſunt.) Termi-
uniuſcuiuſque rei principium, finem, & extremum ſigni
:. Eſt enim lapis aut ſtipes in agro defoſſus, quo agricolæ
dia ſua à uicinis diſtinguunt, quem τέρμονα Græci uocant.
ıc, quòd poſt Saturnū exactum lites ac cędes ruſticorum
iuidundis agris ſuſtuliſſet, Deum faciebat gentilitas te-
Naſo uſe libro Faſtorum ſecundo: ſic enim habet:

Et cantant laudes Termine ſancte tuas.

:ificabant huic menſe Februario in ęde qua ſuper cū fora
men

Elementa.

Terminus deus.

men in tecto patebat, quòd nephas esse putarēt Terminum intra tectum consistere, ut apud eundem:

Nunc quoque se suprà, ne quid nisi sydera cernat,
Exiguum templi tecta foramen habent.

Extat peruetustum ac lepidum ænigma apud Gellium libro duodecimo de Termino, quod ipse dicit se nolle soluere, ut legentium coniecturas acuat. uersus hi sunt:

Aenigma de Termino.

Semel minúsne, an bis minus, non sat scio,
An utrunque horum, ut quondam audiui dicier,
Ioui ipsi regi noluit concedere.

Significatur hoc ænigmate Terminum fuisse, qui solus Ioui cedere noluit, ingens quippe saxum. Non enim semel minus fuit, aut bis minus, sed utrunque minus, scilicet semel & bis minus, hoc est terminus, id est, Terminus.

Ὅρος.

(VNDE Græci similitudine ducti ὅρος.) ὅρος Græcis finem alicuius rei significat, & τὸ ἄκρον, quod Cicero extremū uertit, & μεταφορικῶς pro finitione: eā enim nunc ὅρον, nunc ὁρισμὸν appellat Aristoteles. Verum ὅρος, quamuis ad uerbum sit terminus Latinè, non tamen quemadmodum apud Græcos ὅρος pro definitione accipitur, ita apud nos terminus: quare ubi in hac significatione Latini transferūt, finitionē dicunt, aut finem, ut Fabius libro quinto: Ducūtur, inquit, argumenta ex finitione, seu fine: nā utroque modo traditur. Et recentiores Latinè loquentiū ὅρον in hac significatione nunquam aliter quàm finem transferunt, ut & ὁρισμὸν finitionem.

Ὁρισμός.

(TERMINOS enim simplicis propositionis partes esse dicimus.) Tertia, inquit, termini significatio est, qua dicitur pars propositionis simplicis. Compositi nanq; partes sunt antecedēs & consequēs. Hoc est, ut suprà ὅρος pro definitione, ita hac tertia acceptione pro definito accipitur: id enim est rei simplex uocabulū definitionis indigēs. Hanc autē significationem uult Trapezuntius superiori affinem: quod enim termini, id est, finitiones explicant latius, hoc ipsum rerum uocabula ostendunt inuolutius: ut homo, & animal intellectuale eandem rem significant, sed hoc explicatius, illud uerò contractius. Quare uoces incomplexæ ob id dicerentur termini, quòd in his latens esset finitio.

Plato in Cratylo.

(HINC est quod rerum nomina.) Platonem intelligit, qui in Cratylo existimat nomina ita rebus esse accommodata, ut

ip se tenor uocis rei quam significare uidetur naturā quommodo ostenderet. Cuius Gellius meminit etiam libro cimo Noctium Atticarum, capite quarto. Aristoteles quo e uoces σύμβολα uocat, quas Cicero notas transfert, quasi signis indicarent, ad quod finitiones ueluti manu dunt. Quod quanquam uerum esse potest, tamen hæc ratio n alta origine ducta, parum accommodata uidebitur prę iti negotio: nimirum ob id propositionum partes terinos dici, quòd rerum nomina aliquo sensu finitiones ci possunt, finitiones autem Græcè dici ὅρυς: ὅροι uerò ad rbum termini sint. Verum quidem hoc est, sed pro deiitione ὅρ☉ acceptus, non aptè terminus transfertur. uare propositionum partes alia quadam ratione termini dentur dici. Nam, ut antè diximus, terminum cuiusque rei t extremum, finis, ac limes: sic propositio constat terinis duobus, id est, extremis seu limitibus, ut idem sit ud Aristotelem ὅρ☉ quod ἄκρον. Nam utranque propotionis partem τὰ ἄκρα dicere solet, similitudine nimim ducta à geometris, in qua termini dicuntur, quibus naquæque magnitudo continetur, ut corporum superfies, & harum lineæ termini dicuntur. Quare ut longituinis termini puncta quibus terminatur, ita propositionis ıbiectum & prædicatum modò terminos, modò extrena, dicimus. Libenter nanque Aristoteles mathematicoum similitudinibus, quippe quæ ad sensum maximè acommodantur, rem docere solet: quod satis testantur peretua illa mathematices exempla nusquam illi non usurata, de diametro, asymetro, de triangulo, circulo qualrando, & hoc genus pluribus. Siquidem ita uniuersam lialectices methodon concinnauit, ut perfectæ aliquod cientiæ ostenderet specimen: quæ res fecit ut se non oraionum exemplis alligaret, sed literis in exemplum proluctis, doceret hoc artificium omnium orationum sermoumque formis æquè accommodari posse. Quin & ipse tetatus dialecticam hoc esse rhetorica certiorem, quòd illa firmam habeat κατασκευὴν, hæc uerò opinionibus nitatur. Quod ob id apposuimus, ut Laurentio Vallæ supra modum literas illas in Aristotelis dialectica inuadenti, paucis responsum sit.

Περὶ ἑρμηνείας.

Propositionum partes quare termini dicantur.

Aristot. cur literis dialecticā tradiderit.

(QVEM ita definit Aristoteles.) Primo libro prioris resolutionis terminum his uerbis finit: ὅρον δὲ καλῶ, εἰς ὃν διαλύεται ἡ πρότασις οἷον, τό τε κατηγορούμενον, καὶ τὸ καθ' οὗ κατηγορεῖται ἢ προστιθεμένου, ἢ διαιρουμένου τοῦ εἶναι, ἢ μὴ εἶναι: id est, terminũ uoco in quem dissoluitur propositio, ut prædicatũ & id de quo prædicatur, ipso esse aut non esse addito uel separato. Quibus uerbis admonuit Aristoteles, quo sensu terminum in dialecticis acciperet, nimirum pro partibus quibus propositio determinatur, & absoluitur determinatum enim & definitum dicitur id, quod perfectum est.

(INCOMPLEXVS autem & simplex terminus omnis aut nomen est, aut uerbũ.) Hoc loco illud admonendũ uidetur, dialecticos duas tantũ orationis partes facere, uerbum scilicet, & nomen, ad quę & pronomẽ & participium referri possunt: reliquas uerò partes orationis, quas recẽsent grammatici, nexus esse partium tantúm. Cuius etiam Fabius meminit libro primo institutionum, capite septimo, & Priscianus libro secundo de oratione, & libro undecimo de particip.

(NOMEN est uox ex institutione hominum sine tempore significans.) Est erudita uocis explicatio apud Vitruuium Architecturæ libro quinto capite tertio: Eam (siquidem frequens est huius uocabuli in dialecticis usurpatio) adscribam. Reliqua in definitionibus nominis & uerbi satis uulgaria sunt. Vox autem est, inquit, spiritus fluens, & aëris ictu sensibilis auditui. Ea mouetur circulorum rotundationibus infinitis: ut si in stantem aquam lapide immisso nascantur innumerabiles undarum circuli, crescentes à centro, & quàm latissimè possint uagantes, nisi angustia loci interpellauerit, aut aliqua offensio, quæ non patiatur designationes earum undarum ad exitus peruenire. Itaque cùm interpellãtur, primæ redundantes insequentium disturbant designationes. Eadem ratione uox ita ad circinum efficit motiones. Sed in aqua circuli æqua planitie in latitudinem mouentur: uox & in latitudinem progreditur, & altitudinem gradatim scandit. Igitur ut in aqua undarum designationibus, ita in uoce cũ offensio nulla primam undam interpellauerit, non disturbat secundã nec insequentes, sed omnes sua resonantia perueniunt ad imorum & summorũ aures. Hactenus Vitruuius.

Vox quomodo fit.

(CVIVS nulla pars seiuncta separataq; significat.) Aristoteles

; libro περὶ ἑρμηνείας sectione prima, composita nomina it earum esse partium, quarum quæque significare ali- quidem uidebitur, si per se pars efferatur: ut in dictione ππ☉. per se quidem significat ἵππ☉ equum, quem ta in Callippo (quod hominis proprium est) significare ri um foret, ueluti in omnibus propriis nominibus (quæ nque ex partibus pluribus coaluerunt) partes per se po etsi aliâs ut integra significare possunt, partes tamen dictionis ut sint, nihil significant: non magis quàm in nomine Isocrates, Socrates & Crates, quæ ut totũ respi ,rantum syllabarum sunt comprehensiones, non homi propria. Sed in his ubi in composito partes significatio retinere uidentur, maior erit dissoluendi difficultas: ut c, respublica, tantum res efficere uidetur, atq; si fiat ex s priuata, res urbana, res rustica: nec minus in eodẽ pu- quàm si dicas negotium publicum, locus publicus, sed o aculeo discedamus, quo puerorum industria, relicta endi ulterius occasione solicitetur.

Partes nominis cõpositi an significent.

NFINITA uerò nomina uel uerba sunt, quibus nega iuncta est.) Dialectici nomina quædam infinita uocãt, s scilicet à fronte negatio adiecta est, qua dictionis cer ificatio tollitur: ut non iustum, pro aliquo quod nõ sit :non homo, aliud ab homine, quemadmodum in hoc nis ænigmate: Homo non homo, percussit nõ percus- ide non lapide, auem non auem, super arborem non em. quo significatur, Eunuchus percussit pumice alam tilionis sedentis super sambucum. Verùm apud Lati- rior est hæc nominum usurpatio, præsertim in substan Nam quod apud Ciceronem est in prima Academia, erò aut quod efficere aliquid, aut quod efficeretur pos non corpus: è Græco uersum est ad uerbum, ubi parti substantiuum ὂν in hoc genere sermonis intelligi- d & apud Fab. Quintilianum sine hac figura inuenies ties substantiuum per negationem infinitum. Adie- erò nomina etsi apud Latinos infinita inueniuntur, men ita prorsus: quin ex contratio certa significatio gitur, ut mons non magnus, paruus aut mediocris in- ur: homo non improbus, forma non mala, certam ha gnificantiam ex contrario. Verba autem infinita red-

Platonis ænigma.

Infinitorũ nominũquis usus.

b di non

di non possunt ut aliquid significent. Nam in propositionibus si sumatur, non iam infinita sunt, sed negata: ut piscis nō spirat, Socrates non disputat: in quibus non infinita sunt, nō spirat, non disputat, sed tantùm negatur pisci inesse spiraculum, & Socrati sermo. Si uerò per se sumantur uerba, hoc est extra orationem, iam nomina sunt, teste Aristotele. Verùm id non fit, nisi infinito modo, ut currere, uiuere, moueri. Huiusmodi enim Græci omnium casuum præponunt articulos. Latini tantùm in duobus pronominibus usurpant, in nominatiuo uidelicet, & accusatiuo, ut,

Velle suum cuique est. &, Velle tuum nolo.

(ORATIONVM quinque sunt genera.) Diuisio est orationis perfectæ. Illam enim qua oratio per perfectam & imperfectam diuiditur, omisit.

QVARE sola huius est.) Nam reliqua quæ affectibus mouēdis, ac animis demulcēdis accōmodatiora sunt, oratorib᷒ atq; poëtis magis in usu habētur. Sic enim scriptū est ab Aristotele in libro περὶ ἑρμηνείας sectione prima, nā reliquæ formę orationū, ut sunt interrogatio, conquestio, exclamatio, percōtatio, imperatio, optatio, inuocatio, deprecatio, & hoc genus sexcēta, in tertia parte rhetorices tractātur, ubi præcipiūt de uerborū & sententiarū exornatione, & partibus elocutionis: quæ cùm dignitatē quandam ueluti colorē & speciosiorem habitū adferant orationi, clarum est hanc tractationem nō ad dialectices, qui fidei tantum & ueritatis inueniēdę artificiū docēt, pertinere, sed ad eloquētię magistros.

Enūtiatio. (SIMPLEX enuntiatio est oratio quę aliquid esse.) Hoc est, enūtiatiua dicitur oratio qua asseritur, aut negatur quippiam, ut anima est immortalis. Enuntiationes autē hæ uulgò uocantur, sic enim ad uerbum trāsferri uidetur, quo Aristoteles utitur, ἀπόφανσις, ἀπὸ τοῦ ἀποφαίνεσθαι, quod enuntiare & proloqui aliquid significat. Quare ἀποφάνσεις etiam pronuntiationes & pronnutiata transferūt. Eūntiationes enim esse putant, quas Græci ἐπαγγελίας uocant. A Stoicis uerò ἀξιώματα dicuntur, quæ Cicero nunc effata, nunc pronuntiata, & enuntiationes aliquādo transfert, à M. Varrone proloquia dicuntur. Cæterùm ἀξιώματα dicuntur Aristoteli non

ἀξιώματα. quęuis pronuntiata, sed illa tantùm, quibus absq; ulla doctrina & probatiōe firmus ab omnibus habetur assensus; ut, integrū

tũ est qualibet sua parte maius. Mala sunt deteriora bo-
,turpia honestis. Hæ uulgò dignitates dicuntur. Cicero
ωψις, id est, prænotiones & anticipationes uocat, sine
bus nec intelligi quicquam, nec quæri, nec disputari po-
. Sunt autem hæc, quæ ipsa natura duce, ab omnibus sta-
intelliguntur, creduntur'q;, ut totum est maius sua par-
eu quę sensu uera deprehẽdimus, ut ignem esse calidum,
em albam, mel dulce: tum quæ plurimorum hominum
i insipiẽtium iudicio comprobata & recepta sunt, ut deũ
,post hanc uitam expectari aliam: hæc postrema credun-
tantùm: secundi ordinis, quod experimur, credimus: quæ
no loco posuimus, & quòd ipsa natura dictet, & quòd sen
doceat, nõ possumus ea non credere: quare hæc sub con
lictionem cadere non possunt, reliqua autem possunt, ut
em Anaxagoras negauit albam, & Epicurus non uiuere
t mortem animos, nec esse post hanc uitam aliam existi-
bat. Hæc obiter diximus, quòd per hæc pleraq; Aristote-
n libris de Demonstrationibus, & Ciceronis, in philo-
hicis disputationibus rectius à studiosis intelligentur.

Triplicia principia.

(SECUNDUM quod tempora diuisa sunt.) Hoc est, qua
ritur quippiam fuisse, ut fuit Ilium: aut esse, ut, sol est in
minis: aut fore, ut, anima non morietur. Nihil enim necesf
st uerbum esse præsentis temporis, quoniã è uerborum
bus enuntiationes sunt, modò fuerint modi indicatiui,
saltem pro hoc accepti.

DISSERERE uerò nemo.) Disserere, est rem quamli- PLATOM.
propositam uia ad docendum accommodata explicare.
ue primum eius instrumentum est argumentatio, quæ
in quibus uerum & falsum quæritur, accommodata est.
ade definitio ac diuisio, quæ simplicibus rebus explican-
adhibetur: nẽpe ut quid & quale sit unumquodq;, quod
ponitur: itẽ quę partes eius sint, certa ratiõe demõstret.

GRAECI syllogismum.) Syllogismus precipuus scopus
otius dialecticæ, & unica indicandi regula de omnibus,
in quæstionem deducuntur. Huic adiungitur inuenien-
tio, quæ natura prior est in disserendo. Itaque fit ut duæ
partes dialecticæ, inueniendi, & iudicandi, quarum alt
adit, quæ dicenda sint de proposito, altera quomod
ertitudinem exigenda.

(QVONIAM ergo syllogis.) Partitio totius operis est, ut primò de terminis, secundò de propositionibus, tertiò de syllogismo dicatur.

(RESOLVVNTVR.) Inde ἀναλυτικὰ Aristotelis.

(TERMINI ergo.) Terminus pro agri limite, Latinis in usu est: pro finitione nō est in usu, sed finē uel finitionē uocat Fab. alii definitionem. Terminus autē pro parte propositionis, artis est uocabulum, quem & Aristoteles ὅρον uocat.

(INFINITA uerò.) Infinita nomina & uerba Latinis non sunt in usu, sed Græcis duntaxat: ut τὸ οὐ ἄνθρωπος, quod est, non homo, & subauditur ὤν.

(NOMINA igitur.) Nomina nominatiui casus, & uerba indicatiua, propria sunt dialectici, qa certis & simplicibus sentētiis enūtiādis sunt accōmodata. Præsens etiā tēpus in uerbis aptius est quā præteritū, tametsi & præterito utamur.

ENVNTIATIO.) Est oratio certam sentētiam affirmando uel negando significans, ut homo est mortalis. Hæc propria est dialectici, qui aliud genus sermonis non desiderat, cùm interim uaria sit oratorum ac poëtarum elocutio, quæ in mille figuras transformatur.

Propositio. 1 *Omnis igitur oratio qua necesse est aliquid de aliquo uel asserere uel negare, sicut uel esse, uel non esse significat, consideratur, enuntiatio dicitur: sin ut uerum uel falsum, propositio appellatur. Est enim propositio oratio, quæ uerum uel falsum significat.*

Propositionum quædam categoricæ nuncupantur, quas prædicatorias Latinè appellare possumus: quædam hypotheticæ, quæ conditionales nominantur.

Prædicatoria. 2 *Prædicatoria propositio est, quæ duobus terminis constat, subiecto prædicatoq;.*

Subiectum. 3 *Subiectum est, de quo aliquid dicitur.*

Prædicatum. *Prædicatū est qđ dicitur de aliquo, ut, homo est animal.*

4 *Subiectus terminus nunquā maior, sed æqualis uel minor prædicato semper est.*

Præ

Prædicatus uerò terminus uel uerbum est, ut homo cur=
: uel nomen simul cum uerbo, ut dies serenus est.
Præterea tam subiectũ, quàm prædicatũ cõplexos ter=
nos poßũt cõtinere, ut, sciẽtia iuris ciuilis est res utilis.
Omnis prædicatoria propositio, uel affirmatiua uel ne
ıtiua est. Affirmatiua est alicuius de aliquo enuntiatio. Affirmatiua.
egatiua est alicuius ab aliquo enuntiatio. Negatiua.
Propositionum aliæ sunt uniuersales, aliæ particulares,
liæ indefinitæ.
Vniuersalis est, quæ aut omni aut nulli inesse significat, Vniuersalis.
ıt, omnis homo currit, nullus homo currit.
Particularis est, quæ alicui aut non alicui inesse signifi- Particularis.
:at, ut, aliquis homo currit, aliquis homo non currit. Huic
singularem annectimus: Ea est si dicas, Cicero disputat,
hic audit. Indefinita est, quæ absque signo uniuersali at= Indefinita.
que particulari aut esse aut non esse significat, ut, homo
legit, homo non legit. Hic illud dicendum est, huiusmodi uo=
ces, omnis, nullus, aliquis, quosdam iuniores signa, priscos
συνκατηγορήματα appellare, quoniam terminis adduntur, Signa.
ipsæ uerò termini non sunt. Ad hæc propositionum quæ=
dam contrariæ, quædam subcontrariæ, & aliæ subalternæ,
aliæ contradictoriæ nominantur. Vniuersalis igitur affir=
matiua, & uniuersalis negatiua, in quibus eadem omnino
subijciuntur ac prædicantur, inter se contrariæ sunt. Par= Contrariæ.
ticularis uerò affirmatiua & negatiua, in quibus eadem
omnino subijciuntur ac prædicantur, subcontrariæ dicun= Subcõtrariæ.
tur. Vniuersalis uerò particularis affirmatiuæ, & simili=
ter duæ negatiuæ, subalternæ dicuntur. Cùm uerò quanti= Subalternæ.
tati quantitas, & qualitati opponitur qualitas, eisdẽ subie=
ctis & prædicatis, cõtradictoriæ nominantur. Quare uni=
uersalis affirmatiua & particularis negatiua, ac rursum Contradictoriæ.

uniuersalis negatiua & particularis affirmatiua, in quibus eadem omnino subijciuntur ac prædicantur, sibijpsis contradicunt. Harum popositionũ, si cui negatio præponitur, sunt cõtradictoriæ: si postponitur, præsertim uniuersali signo, contrariæ: si uerò eidẽ & præponitur & postponitur negatio, subalternæ uim & potestatẽ possidet. Quã rem iuniores propositionũ æquipollentiã appellare solẽt. Verùm de oppositione propositionũ satis. Nũc de natura dicamus.

Aequipollentia.

Omnis homo currit. — Contrariæ — Nullus homo currit.

Contra- / Contra-

Subalternæ / Subalternæ

dictoriæ / dictoriæ

Aliquis homo currit. — Subcontrariæ — Aliquis homo non currit.

Propositionum igitur, quas contrarias appellamus, ea natura est, ut cùm nunquã simul ueræ inũeniri possint, si una uera est, falsam necessariò alteram ostendat. Neq; retro uertere licet: nec enim si alterutra falsa est, idcirco quæ relinquitur, erit uera. Nam falsas simul esse in ijs rebus compræhendimus, quas cõtingentes appellant, ut, omnis homo sedet, nullus homo sedet. Subcontrariæ uerò contrario se modo habent: nam cum falsæ simul esse non possint, ueræ possunt. Quare falsitas unius ueritatẽ alterius ostendit: sed ueritas falsitatẽ minimè. Possunt enim ambæ simul uerita-

Natura propositionum oppositarum.

tē in cōtingētibus rebus cōplecti:ut aliquis homo sedet,aliquis homo nō sedet. In subalternis si particularis falsa est, uniuersalis falsa est, nec retro agere licet. Vera enim esse potest particularis,cū uniuersalis est falsa,ut,aliquis homo sedet,omnis homo sedet.Si aūt uniuersalis uera est,& particularis necessario. Nā si omnis homo est animal,& aliquis homo animal est. At cōtradictoriæ semper uerū à falso seiungūt & separant.nā si una ipsarū uera est,falsam alterā:si falsa altera,reliquā uerā esse necesse est. His ita breuiter dictis,nūc de cōuersione propositionū dicēdū esse uidetur.Cōuersio igitur est,cū propositionis subiectus terminus in prædicatū,& prædicatū in subiectū trāsponitur.Ea est triplex:Simplex,ꝑ accidēs,per cōtrapositionē.Simplex est,cū termini quidē trāsponūtur, quātitas uerò & qualitas eadē omnino remanet.Hoc cōuersionis modo uniuersalis negatiua,& particularis affirmatiua uertūtur:Nam si nullū animal est,nihil eorum quæ sunt,animal est:& si aliquis homo currit,currētiū utiq; aliquid homo est.Per accidēs autē est cōuersio, cū trāspositis terminis qualitas eadē manet,quātitas mutatur.Hoc modo tam uniuersalis affirmatiua,quàm negatiua cōuertuntur.Nā si omnis homo est animal, & aliqd' animal hominē esse necesse est.Et si homi nū nemo uolare potest,corū certè quæ uolare pñt,quicquā homo nō est. Per contrapositionē cōuersio fit,cū quātitas quidē & qualitas eadē manet,termini uerò trāspositi in in finitos cōmutātur.Hoc modo cōuertūtur uniuersalis affirmatiua,& particularis negatiua.Nam si omnis homo spirat,qcquid nō spirat,est nō homo:& si aliquis homo nō sedet, qppiā qd' nō sedet,nō est nō hō. Harū cōuersionū ista natura est,ut cū eadē maneat quātitas:si una est uera uel falsa,& altera. Cū uerò mutatio quātitatis uera fiat,sem-

Conuersio.

Simplex.

Per accidens.

Per contrapositionem.

per in ueră conuertitur. Falsa uerò in qua superiora subijciuntur, quoniā ex conuersione mutata quātitate, recta fit prædicatio, in uerā necessariò cōuertatur, ut aliquis homo animal est, uera est, cū tamē omne animal homo est, uera nō sit. Hæc de prædicatoria propositione delibasse sufficiat.

NEOMAG.

1 OMNIS igitur oratio, qua necesse est aliquid de aliquo uel asserere.) Apparet ex hac differentia orationē enuntiatiuā, tunc rectius propositionē uocari, cùm argumētationis alicuius pars esse constituitur: quādoquidē in ea huiusmodi orationes sumuntur, non quidē quòd esse aut nō esse rem quampiā significēt, sed quatenus ueritatē, aut falsitatē continerent. Cuius rei indiciū est, quòd Aristoteles ubi de hac oratione disputat, tanquam argumētationis parte non ἀπόφασιν, ut in libro περὶ ἑρμηνείας, sed πρότασιν, ut in libris priorum resolutionū uocauit, quā nostri trāsferūt propositionē. Lauren. Valla lib. Dialectices III. propositionem dicit syllogismi initiū: Enuntiationem autē genus propositionis, assumptionis, cōclusionis, & reliquorum, quæ non tā materia differūt, quàm eloquendi modo. Non tamē hoc semper obseruatur, quādoquidē dicitur ratiocinatio trib⁹ cōstare ꝓpositionib.

Propositio

Enūtiatio.

2 (PRAEDICATORIA propositio est) Propositio κατηγορικὴ, quā Martian⁹ ꝑdicatiuā uocat, est qua unū uni aut tribuit aut negat, seu quę uno uerbo cōtēta est: ut, terra quiescit.

3 (SUBIECTUM est de quo aliquid dicitur.) Prior propositionis pars cui posterior tribuitur, subiectū uocatur. Oportet autem prius esse intellectu, ordine uerò non est necesse: ut, uitium est omnis intemperantia. Intellectu prius illud omnis intemperātia. Rursum, pium est tueri patriam: utile est erudire liberos: subiecta sunt, tueri patriam, erudire liberos.

4 (SUBIECTUS terminus nunquam maior.) Ex Isagoge Porphyriana canon hic desumptus est. Intelligitur autem de enunciatione affirmatiua & uera, in reliquis locū non habet. Aequale autē subiectum est prædicato, ubi idē de eodem dicitur, ut Socrates est Socrates: aut ubi iungūtur synonyma, ut ensis est gladius, Lethū est mors: aut ubi definitio definito seu cōtrà, ut homo est animal rationale, rationale animal est homo: aut si proprium de subiecto suo, ut homo est risibilis.

(PRAE

(PRAETEREA tam subiectum quàm prædicatum.) Vbi in propositionibus ultra uerbum substantiuum aliquid additur, id prædicatũ Græcis dicitur προσκατηγορούμενον: scholæ, de Est tertiò adiacente. Latinè nondum tralatum est.

5 (OMNIS prædicatoria propositio uel affirmatiua uel negatiua est.) Hæc enuntiationum diuisio secundũ qualitatem est, superior est ex substantia: quæ sequitur, quantitatis est. Ac proinde tres quærendi modos diuersos propositioni accommodant. ueluti quærenti, quod sit pronuntiatum, prędicatorium uel cõditionale, redditur: Quale, affirmatiuum aut negatiuũ: Quantum uerò, singulare, aut particulare, aut uniuersale. Cicero affirmatiuas & negatiuas, negantes & aientes uocat, Martianus dedicatiuas & abdicatiuas. *Quærendi nota tres.*

6 (AFFIRMATIVA est alicuius de aliquo.) Affirmatio alicuius de aliquo, negatio alicuius ab aliquo est enuntiatio. Hoc ad uerbum è Græco περὶ ἑρμηνείας traductum est, ubi Aristoteles nõ alio discrimine seiunxit affirmationem à negatione, quàm præpositionibus his, κατὰ & ἀπὸ: ut sit affirmatio, enuntiatio alicuius κατὰ τινός: Negatio uerò, alicuius ἀπὸ τινός. Verum Ab & De præpositiones an contrariæ sint significationis, grammaticis discutiendum relinquamus. Significantius foret, si diceretur: Affirmatio est oratio qua alicui quippiam inesse dicitur: ut, deus est iustus, homo est animal. Negatiua oratio, qua per negationẽ prædicatum à subiecto remouetur, ut, homo nõ est iustus: aut in quo uis est negandi, ut, nolunt boni ab officio discedere, est homo parum pius, argentum aliud est, quàm aurum. Negandi particula uerbo intellectu tantum apponenda est. Nam si nomini præponitur, ut, est uir non bonus, est homo minimè malus, affirmatiuæ sunt, & æquipollent his, est uir malus, est homo planè bonus: æquipollentes autem propositiones eiusdem qualitatis sint necesse est. Quare si hæc affirmatiua est, homo malus, erit affirmatiua quoq;, homo non bonus, æquipollet enim superiori. Sciendum autem in hoc loco minimeque tacendũ est id professoribus, esse propositiones quasdã, quas in scholis modales uocamus, quarum naturam si ignorauerimus, iudicare non possumus de propositionum omniũ qualitate & quantitate. Est autem propositio modalis, quæ non simpliciter effertur, sicut illæ, quas Aristoteles καθ' ὑπαρχὴν, *De aliquo. Ab aliquo* *Negatio. Affirmatio.* *Propositiones modales.*

id est, de inesse uocat, sed quæ cũ determinatione aliqua modificatur, hoc est, ut apertius dicam, quæ sumitur cũ expressa qualitate, ueluti hic simpliciter efferuntur: uitanda sunt peccata, defendenda est patria, instituendi sunt liberi: cum qualitate uerò sumitur, si dicam sic, honestum est uitare peccata, pium defendere patriã, utile instituere liberos: quare adiuncta qualitas (quæ consueto uocabulo modus dicitur) propositionem modalem efficit: quod si tam receptum esset, uocare liceret propositiones qualitatiuas. Sunt autem monendi pueri, hanc qualitatem sumi ex locis generum causarũ apud rhetores, ut ex demonstratiuo & deliberatiuo honestũ, laudabile, magnificum, egregium, excelsum, utile, iucũdum, facile, possibile, necessarium, iustum, æquum, rectum, uerum: & quæ his contraria sunt, ut inhonestum, turpe, sordidum, humile, inutile, iniucundum, difficile, impossibile, iniquum, improbum, falsum: horum aliquod uel simile si sumatur in propositione ad qualitatem sententiæ demonstrãdam, modale erit. Hic enim mihi usus uidetur talium propositionum, ut sententiæ qualitatẽ agnoscat puer magis, quàm se modalibus de necessario, possibili, impossibili, cõtingenti, alliget. Nam quæ de his præcepta dantur ab Aristotele, aliis quoq; accommodari rectè poterunt. Meminerit igitur, si qualitatem propositioni addiderimus hac forma, sanctum est colere numina, esse modalem propositionem sumptam ab honesto. Cuius subiectum ferè semper est infinitum uerbum cum obliquo, aut infinitum solum: prædicatum, modus seu qualitas cum uerbo infinito: ut hic, iucundũ est legere poëtas: subiectum est, legere poëtas: prædicatum, iucundum est. Porrò in huiusmodi propositionibus, quoniã duo uerba sunt, negatio modò finito, modò infinito uerbo adhæret: sed illa propositionẽ efficit negatiuã, quæ finito uerbo cõiuncta est: ut, nõ est æquũ damnare insontes: hęc enim, expedit Reipublicæ nõ seruare tyrannorũ liberos, affirmatiua est propositio.

Indefinita propositio. (INDEFINITA est quæ absque signo.) Huiusmodi propositionem Laurentius Valla libro secundo dialectices dicit similem esse & germanam uniuersali. Martianus Capella particulari adnumerat, cuius uerba adscribam: Quod igitur, inquit, indefinitè dicimus, necessariò particulariter accipimus, nõ necessariò uniuersaliter: quoniam id potissimum

mum numerandum, quod securum habet intellectum, indefinitum pro particulari accipimus. Hactenus Capella. Verùm in argumentationibus plerunq; pro uniuersalibus accipiuntur, ut honestum est laudabile. Et ferè tunc, quando prædicatĩ pars est substantiæ subiecti, ut, homo est animal. In aliis nihil perpetuum præcipi potest: ob id enim indefinitæ dicuntur, quòd nunc uniuersalis, nunc particularis absque determinatione uim possident.

(PRISCOS συγκατηγορήματα appellare.) Acsi dicas comprædicatoria. Ammonius συσσημαινόμενα, id est, consignificatiua nominat. Huiusmodi quidem sunt uniuersalia ac particularia signa notæ tantum uniuersalis ac particularis prædicationis. Termini uerò non sunt nisi sumantur genere neutro: ut, amicorum omnia sunt communia: Deo omnia subiecta sunt, nonnulla etiam mortalibus.

(AD hæc propositionum quædam cõtratriæ.) Sæpe enim admonuimus dialectices esse ueri falsique censuram: necessarium igitur erat cognoscere quæ pronuntiata sibi mutuo repugnarent, quæ simul consistere nequirent, & quæ inter se consentientes essent: Quorum hoc docebit ἰσοδυναμία, id est, æquipollentia & conuersio: illud oppositio: quam definiunt, ut sit duarum propositionũ in quibus eadem sunt subiecta & prædicata, in qualitate tantũ, uel in qualitate & quãtitate simul, repugnãtia, ut omnis homo est iustus, omnis homo nõ est iustus: hîc sola mutata est qualitas. Cæterùm hæ, Omnis uoluptas est expetenda, quçdã non est expetẽda: & qualitate quãtitate & pugnãt. In his cauendũ est, ne qua sit πολύσημος, uel ambigua uox, quæ aliud significet, aut aliã uim habeat in una propositiõe atq; in altera. Nam si quis dicat, Rhenus in Italia fluuius est, illum intelligens, qui Pado uicinus, nihil repugnans huic dicit, qui Germaniæ fluuium intelligens dixerat, Rhenus in Italia non est. Item si una metaphoricôs, in altera citra tropum accipiatur: ut non opponuntur, candor oculis officit, candor oculis non officit: si hîc animi, ibi corporis candorem accipias.

Oppositio.

(HARUM auté propositionũ si cui negatio præpõnitur.) Obscurè admodũ Trapezuntius tradit çquipollentiã propositionum per tres regulas. Est autem æquipollentia, seu (ut Græci) ἰσοδυναμία, duarum propositionũ æqua uis, potestas;

&in qualitate & in quantitate, ut, non omnes sunt felices, & aliqui non sunt felices: fiunt autem oppositæ æquipollētes, uni earum accommodata negatione, de qua dialecticus tradit tres regulas. Prima, Si alicuius propositionis signo uniuersali uel particulari præponatur negatio, facit eam æquipollere suæ contradictoriæ: seu (ut Trapezuntius ait) fit superioris cōtradictoria, quod eundē sensum habet, licet obscurius: si enim antegressę sit cōtradictoria, necesse est eā eiusdē cōtradictorio æquipollere. Nam si plures propositiones uni alicui opponuntur in eodem genere oppositionis, eas inter se easdem esse oportet: ueluti hæc, omnis homo est iustus, hanc habet contradictoriam, aliquis homo non est iustus. proinde si prior sumitur cum negatione signo præposita, secundæ, id est, contradictoriæ prioris æquipollebit, & priori contradicet. Secunda regula, Si postponitur, æquipollet contrario suo, ut nullus sapit, nullus non sapit: hęc posterior contrario prioris, quæ esset, omnis sapit, æquipollet, seu, quod idē est, contraria facta est illi primo loco positæ. Tertia regula, Negatio signo & præposita & postposita fit subalterna prioris: ut, nulli ambulant, præpone negationem simul, & postpone, nonnulli non ambulant, id est, aliqui non ambulant, atque hæc subalterna est eius, nulli ambulant.

Regulæ æquipollētiæ tres.

(PRAESERTIM signo uniuersali.) In omnibus exemplaribus legebatur hoc primæ regulæ appositū, neq; à me in priore editione animaduersum: quod autem, ut nos ad secundam regulā transtulimus, legendū sit, primum facit negationis natura, quæ particulari præposita efficit uniuersale negatiuum, ut, nō ullus est nullus, unde & compositum est. sic ne unum quidem, nec quicquam pro nihil, nec uspiam pro nusquā. Quare ut negatio uniuersali signo pręposita signū efficit particulare, ueluti, nō omnia, id est, aliqua nō, sic uicissim particulari pręposita facit uniuersale, qua in re neq; grāmatica, neque consuetudine sermonis impedimur. Quòd autem clausula illa (Præsertim signo uniuersali) ad secundam regulam, ad quam eam trāsposuimus, pertinet, ex eo uenit, quòd particulare signum si postpositam habet negationem unā, respuit secundā: si autem signo puro negatio postponitur, nō æquipollet, sed fit eadē, ut aliquis est iustus, cuius subcontraria est, aliquis nō est iustus, hic prior, si sumetur signo

post

postposita negatione, fit eadem suæ subcõtrariæ. Neque aliter (quàm nos restituimus) à Trapezuntio scriptum est. Sũt autem monendi pueri signorum *ἰσοδυναμίαν* non ob id à dialectico tradi, ut ex ea Latinè loquendi regulam datam arbitrentur, sed tantùm rationem iudicãdi de signis, quibus aut repugnent aut ęquipolleant, & qua specie oppositionis. Delectum autem signorum à grammaticis planè sumendũ arbitramur: quare adhibe ad hanc facultatem Laurentii Val. ex II. libr. dialectices capita aliquot, à XV. usque ad XXXIIII. illis tantùm omissis, ubi cum dialecticis rixatur. Deinde Erasmi caput ex primo libro Copiæ, de æquipollentia signorũ.

(VERUM de oppositione propositionum nunc satis.) In oppositione propositionum assuescant pueri per quaternos digitos propositiões distribuere, quod & in syllogismis construendis idẽ monendi sunt. Habet enim dialectica in multis præceptis mathematicæ simile aliquid, quod uel declinatione, uel digitorum figura ob oculos ponere oportet: quin & ipse Aristoteles in suo ipsius uolumine quatuor propositiones sic in quadrum redegit, ut duæ contrariæ in fronte: & in basi, id est, inferiore linea, totidẽ essent: sic enim legimus libro de enuntiatione sectione tertia, seu (ut nunc distinctus est) libro tertio, tractatu I. *Νοῦ μὴν δὴ τὸ λεγόμενον ἐκ τῶν ὑπογεγραμμένων.* post quæ uerba sequuntur quatuor propositiones per quadrum dispositę: & paulò pòst, *πλὴν οὐχ ὁμοίως τὰς κατὰ διαμέτρον ἐνδέχεται συναληθεύειν*, id est, non perinde ex diametro oppositas ueras esse cõtingit. Interpres ita respexit schematis descriptionẽ, ut contentus sensum reddere, angulares transtulerit. Sunt autem ex diametro quæ in pollice ac medio, & rursum quæ in indice & annulari.

Propositiones per quadrum disponenda.

(SI una uera, reliquam falsam esse ostendit.) Vera propositio est, quæ cum re consentit, ut, sol lucet, pium est uenerari Deum. Falsa autem, quæ à re dissentit, ut luna maior est sole, animæ hominum unà cum corporibus moriuntur.

(NAM falsas simul esse in iis rebus.) Cohæret prædicatum cum subiecto trifariã, has uulgò materias uocant, ut est necessaria, contingens, remota. Necessariò autẽ subiecto prædicatum cohæret, cũ uel definitio prędicat, ut, religio dei cultus est, æther astrorum mundus: aut genus, ut, arbor est substantia: aut proprium, uel perpetuum accidens, ut, homo ratione

Propositio necessaria.

tione prǽditus est, cygnus candore. Duarum ea est cōditio, ut in omni genere oppositionis, si una uera sit, reliqua falsa erit necessariò. Contingens dicitur, quando accidens prǽdicatur, aut ubi uoces ex diuersis prędicamentis cōiunguntur, ut homo est iustus, dies est serenus. Remota dicitur, cùm pugnantia sibi mutuò tribuuntur, ut calidum est frigidum, homo est lupus. In his affirmatiua est falsa, negatiua semper uera. Multùm ualebit illa distinctio ad rectè iudicandum de probationibus & dialecticis & rhetoricis: sunt enim aut necessariæ, aut tantùm uerisimiles, aut ineptæ & falsæ.

Contingēs.

Remota.

(CONVERSIO igitur est.) Conuersionis multiplex usus est. Alius, quo syllogismos diuersarū figurarum in sese cōmutamus, ac bene nos collegisse ostendimus: atq; huic negotio ab Aristotele destinatus est liber 1. prioris resol. Alius, quo propositionū quandā aperimus consequentiā, ut, nemo stultus est beatus, nemo igitur beatus est stult⁹. Et, pallēt omnes inuidi, quosdā igitur pallidos inuidere necesse est. Aliquādo uerò propositioni illustrandę adhibetur, si qua obscurior inciderit, ut nemo in calamitate constitutus est felix, felices igitur homines in calamitate putas esse cōstitutos? Id ferè simile est exornationi, quam rhetores ἀντιμετάθεσιν uocant.

Vsus conuersionis.

(PER accidēs autē cōuersio.) Per accidēs dicitur, quòd secūdę propositioni quæ cōtrouersa dicitur, accidat noua quātitas.

(PER contrapositionem.) Hoc genus conuersionis ad syllogismorum quidem reductionem nihil adfert, alibi tamen non negligetur, siquidem sæpe argumentationis uice adhibetur. Est enim argumentandi genus à contrariis, ut apud Ciceronem lib. 1. Inuentionis. Deinde si constitutio & pars eius quælibet intentionis depulsio est: quæ intentionis depulsio non est, ea nec constitutio, nec pars cōstitutionis est: ac si dicas, omnis homo animal est: igitur quod non est animal, nec homo erit. Quod autem Trapezuntius admonet teminos uertendos esse in infinitos, satis erit si cum negatione interposita sumentur. substantiuorum enim (ut suprà docuimus) infinitorum rarus est usus apud Latinos. Quare sic uertes hanc, Omnis uoluptas est expetenda. quod nō expetitur, non est uoluptas. Quid opus erat dicere cōtra consuetudinem Latinè loquentium, non expetendum est non uoluptas? quæ constructio ridicula est & sine manifesto sensu.

Cōuersione per accidēs quomodo utendū.

(NVNQVAM maior.) Id est, significatione latior. Et hoc uera & affirmatiua propositione intelligendum est. Sed iis maior, minor, & æqualis terminus sit, ex prædicabilibus cognoscitur, quibus adduntur prædicamenta, ut intelligamus terminos ex eodem ordine sumẽdos esse, hoc est, nõ posse nisi ea quæ eiusdem generis sunt, alia de aliis prædicari. Deinde alios aliis latius patere, ut, genera & species. LATOM.

(PROPOSITIONVM.) Propositiones spectãtur ex qualitate, quantitate, & oppositione, unde uariæ earum species existunt. Conuersio uim ac potestatem earum indicat.

(INDEFINITA.) Quandoque uniuersalis est, quandoq; particularis pro rerum subiectarum qualitate, ut, in necessariis uniuersalis, in contingentibus particularis, ut, homo est animal, homo est doctus. Itaq; sunt qui tollant eã ex hoc numero. Sed illi nõ formã pronuntiandi, sed uim spectant. Singularis etiã extra numerũ est, quia artibus tradendis non seruit, ac proinde ad syllogismum demonstratiuum inutilis est.

(SYNCATEGOREMATA.) id est, consignificatiua.

(HARVM propositionum.) Aequipollentia contraria est oppositioni, quare ei subiungitur, Non omnis, aliquis non. Nullus non, omnis. Non omnis non, aliquis.

(DE natura.) id est, conditione ac proprietate.

(CONVERSIO igitur.) Conuersio fit sicut in numeris, ut quẽadmodũ in illis eadẽ quãtitas efficitur, ita in propositionibus eadem ueritas. Nã sicut bis decẽ faciũt uiginti, ita & decies duo. Sic, si dicas, Nõ omnis homo doct⁹ est, uertere licebit & inferre, ergo aliquis homo nõ est doct⁹. Et, nulla ciuitas sine legibus est, ergo nulla societas sine legib⁹ ciuitas est.

DE PRAEDICABILIBVS.



Vnc breuiter (ut instituimus) dabimus operam ea primò exponere, quæ Græci uoces, Latini prædicabilia solent appellare. Deinde de prædicamentis, quas κατηγορίας *Græce dicimus, & de prædicatorio syllogismo pauca admonebimus, postremò de propositione hypothetica, & syllogismo, & de definitione & diuisione differemus, nec omnino ea præcepta contemnemus, quæ eius rei, quam iu-*

niores

niores obligationem uocant, uim & naturam complectun-
Prædicabile. tur. Prædicabile igitur est terminus, qui de pluribus uniuocè potest prædicari. Vniuoca dicuntur, quorum nomen
Vniuoca. commune est, & ratio substantiæ secundum id nomen eadem, ut animal, homo, atque bos. Nam utraque animalia nuncupātur. Et si quis aßignet utriusq; rationem inquantum animal est, utrunque animatam substantiam, quæ sentiat & moueatur, esse affirmabit.
Aequiuoca. Aequiuoca sunt, quorū nomen quidem commune, sed ratio substantiæ secundum id nomen non est eadem, ut canis in aquis, in terris, in cœlo, nomine quidem idem, re autem atq; substātia diuersa sunt. Prædicabilia quinque sunt: Genus, species, differentia, pro-
Genus. prium & accidens. Genus est, quod de pluribus differentibus specie in eo quod quid est, uniuocè prædicatur. Id duplex est: nam aliud genus generalißimum, aliud subalternum appellatur. Generalißimum est, quod cùm sit genus, non potest esse species, uel supra quod aliud genus minimè inuenitur, quæ sunt decem genera rerum omnium, de quibus posteà dicemus. Subalternum est, quod cùm sit genus, est etiam species. Huiusmodi sunt omnia, quæ inter specialißimas species, & generalißima genera semper inueniuntur, & ad superiora quidem relata, species sunt: inferioribus uerò accōmodata, genera: ut animal, animati quidem corporis species, hominis uerò aut bouis genus. Species est,
Species. quæ ponitur sub genere. Vel, Species est, quæ de pluribus differentibus numero, in eo quod quid est, uniuocè prædicatur. Ea est duplex: nam aliam specialißimam, aliam subalternam dicimus. Subalterna est, quæ inter generalißimum genus, & specialißimam speciem posita est. Superioris species, inferioris genus semper inuenitur, ut ani-

mal

. Specialißima est, quæ cùm sit species, non potest genus, ut homo, bos. Hæ specialißimæ species, non in :ies amplius, sed in individua scinduntur, ut Cicero, istoteles. Differentia est, qua res inter se differunt. Ea triplex: Communis, propria, specifica. Communis est, æ separabilis est: ita dicimus album hominem à nigro ferre. Propria est, quæ cùm inseparabilis sit, inest ta- :n per accidens: ita coruus nigredine à cygno differt. ecifica est, quæ de pluribus differentibus specie uel nu- ero in eo quod est quale essentiale, uniuocè prædicatur. el, Differentia est, qua abundat species à genere. Hanc so m in numero quinq; prædicabilium accipimus: quæ du- lex est, diuidens & constituens. Diuidentem appellamus, ua genus diuiditur: ut, substantia quædam corporea, quæ am incorporea. Constituentem appellamus, quæ generi ddita, speciem constituit: ut, animalium aliud rationale, lliud irrationale. Nam si animali addas irrationalitatem, peciem quandam constitues, quam, si nomine caret, aut nente sola concipies, aut etiam (nec enim de rerum uocabu lis solicitari debet philosophus, sed dare semper operam di ligenter, ut natura rerum apertius pateat) ficto aut nouo uerbo quàm commodißime poteris, nominabis. Sunt ergo specificæ differentiæ quæcunque aliam faciunt speciem, quibus ad diuisionem & definitionem specierum maxi- me opus est. Proprium quatuor modis accipitur: Nam quicquid soli accidit speciei, & si non omni sub ea, neque semper, proprium dicitur, ut homini medicum esse. Et quod omni accidit & semper, & si non soli, ut hominem bipedem esse. Et quod omni & soli, sed non semper, ut ho- mini canescere in senectute. Et quod omni & soli & sem- per inesse potest, ut risibile homini. Et hoc modo proprium

Differentia. Specifica. Diuidens. Constituens. Proprium.

in quinque uniuersalibus connumeratur: quod etiam sic definiunt: Proprium est, quod de pluribus differentibus numero uniuoce in eo quod est quale accidentale, sic prædicatur, ut uertere liceat, ut, omnis homo est risibilis, & quicquid risibile est, homo est. Accidens est, quod potest adesse & abesse præter subiecti corruptionẽ. Huius aliud est separabile, ut dormire, sedere: aliud inseparabile, ut, nigredo corui & Aethiopis. Quæ etsi separatim non inueniatur, tamen si abesset, non inferret coruo aut Aethiopi corruptionẽ. quod à iunioribus etiã sic definiri solet: Accidens est quod de pluribus prædicatur in eo quod est quale accidentale nõ conuertibiliter. Quòd autẽ uoces (ut Græci dicunt) quinq; sint numero, hinc maximè perspicuũ est, quòd omne quod de alio dicitur, uel accidẽs ei est, uel substantiale. Si accidens, aut conuerti prædicatio potest, & habetur proprium: aut non, & habetur accidens. Quòd si substantialis prædicatio est, id est, si quod prædicatur, essentia inest subiecto, uel in eo quod quid, uel in eo quod quale dicitur: quod ut qualitas dicitur, cũ per essentiã inest, differentia est: quod in eo quod quid, si de pluribus differentibus specie, genus est: sin de differentibus numero, species est. Itaque cùm sint quinque prædicabilia, genus, species, differentia, prædicationem eam faciunt, quæ essentialis & substantialis. Accidentis ac proprij prædicatio accidentalis appellatur. Nunc quoniam de quinque uocibus dictum est, de prædicamentis breuißimè (ut instituimus) dicendum uidetur.

Accidens duplex.

Cur quinque uoces breuis ostensio.

NEOMAG. NVNC breuiter ut instituimus.) Superius dialecticam tripartitam ostendimus, in elemẽtariam, inuentionẽ, & iudiciũ: quarũ ut natura, ita ordine etiã prior est elemẽtaria. Huius initiũ alii à prædicabilibus sumunt, Trapezuntius à propositionibus & terminis: uel quòd hũc ordinẽ ab aliis quibusd

quibusdam obseruatam uideret, aut quòd facilior esset tradendi modus, si ea quę adhuc grãmatici iuris aliqua ex parte uidentur, principio traderentur: ut quæ de uerbo, nomine, signis, oratione docentur, grammaticorũ auribus nõ sunt insueta, & prius quidẽ grammaticæ præceptis imbuti, ad dialecticã paratiores uenimus. Est igitur hic ordo cõmoditatis, nõ naturæ. Sed nũc de fæce haurimus, quare ad institutũ redeo. Prędicabilia Gręci φωνὰς uocãt, teste Ammonio Porphyrii paraphraste. Latini uerò Prędicabilia, quòd uidelicet de altero nihil prædicetur aut dicatur, quin sub aliqua harũ uocũ cõtineatur. Necessariã harũ cognitionẽ Porphyrius ostendit ad ea quæ sunt apud Aristotelẽ in categoriis, tũ ad facultatẽ definitionum ac diuisionum. Postremò ad methodum scientiæ demonstratiuæ. Magna certè utilitas, nec ulli negligenda, qui sibi altiores disciplinas perquirendas proposuit.

(VNIVOCA dicuntur.) Tradunt dialectici formas nominum quinq;, è quibus Trapezuntius duas duntaxat posuit. Nos reliquas subiecimus, nihil enim missũ faciemus, ex quo studiosis iuuenibus aliquid cõmodi fore speramus. Sunt autẽ πολυώνυμα, ἑτερώνυμα, ὁμώνυμα & παρώνυμα. Polyonyma sunt, quæ uulgo synonyma appellant, cùm res una uaria nomina sortita est, ut ensis, gladius, spatha. ἑτερώνυμα, quæ à nonnullis altera dicuntur, cùm & res & nomina diuersa sunt, ut Deus, homo, arbor, uirtus. συνώνυμα Aristoteles definit, quorũ nomen commune est, & ratio substantiæ secundum id nomen est eadẽ, hoc est, qua & nominis & rei cõmunione cõueniũt: ut homo, leo, aquila, hactenus cõueniũt, quòd sunt corpora uiuentia quæ sentiũt: ac ob id dicuntur animalia. Huiusmodi autem uulgo uocãtur uniuoca uniuocata, scilicet quæ sub ea cõmunitate cõtinentur, hoc ipsum autẽ quod plura cõtinet, uniuocum uniuocans dicitur. Cùm uerò uniuocãs prædicatur de uniuocato, prædicatio fit substantialis, quę hinc etiam uniuoca à dialecticis dicitur: requirit autem ea, quæ sunt eiusdem categoriæ: ut, homo est animal, iustitia est uirtus.

(AEQVIVOCA sunt.) Huiusmodi Aristoteles ὁμώνυμα appellat, quę cõueniunt quidẽ uoce, sed nõ rei cõmunitate, quæ per id nomẽ significat, ut, mons ille qui Ciliciã à Galatia, Cappadocia ac Armenia diuidit, Taurus dicitur: itẽ bos mas, & apud Gelliũ philosophi nomẽ est. Hęc uulgo ęquiuo- *Homonyma.*

cata dicuntur:ipsum autem nomen ambiguæ significationis est æquiuocans. Possunt etiã ea quæ æquiuoca diximus, uniuoca fieri, si ad altius quiddam referantur:ut, Aiax Telamonis, & Aiax Oilei filius, Aiaces quidem æquiuocè, homines uniuocè dicuntur. Prædicationes quæ ab æquiuocis fiũt, dialectico (ut ambigua omnia) summopere fugiendæ sunt.

Denominatiua. Postrema forma nominum est quæ παρώνυμα dicuntur Græcis, Latinis denominatiua, ea sunt abstractum & concretum eiusdem significationis, ut sapiens & sapiẽtia, iustus iustitia. Prædicatio autem quæ hinc est, denominatiua dicitur & accidentaria, sitq; cùm accidens subiecto tribuitur, seu cùm uoces diuersorum prædicamentorum coniunguntur:ut, homo est iustus, cœlum mouetur. Hæ prædicationum formæ diligenter sunt commendandæ memoriæ. Plurimum enim adferunt momenti ad censendas enuntiationes.

(DE pluribus specie differẽtibus.) Differũt res trifariã, genere, specie, & numero. Genere qdẽ, quę aut ipsa diuersa sũt genera, ut ars, uirtus: aut quæ sub diuersis sunt generibus, ut iustitia & astrologia. Specie differũt indiuidua diuersarũ specierũ, seu species sub eodẽ genere, ut homo & canis sub animali: itẽ Socrates & Cerberus sub diuersis speciebus. Numero differũt, quæ sub eadẽ specie infima sunt, ut Cato, Cicero.

Lib. 1. cap. 20. (IN eo quod quid est.) Existimat Laurentius Valla superuacaneum esse in definitione, in eo quod quid est, quòd quęrenti quid sit res, non tantum genus reddendum est, sed integra finitio: de qua re plurima uide apud Rodolphum Agricol. Verùm si satis sit dicere, Genus quod prędicatur de pluribus differentibus specie: non uideo quo pacto à finitione generis, accidentia & differentia excludat Laurentius.

(SPECIES est quę ponitur sub genere.) Species Aristoteles εἴδη uocat, Plato ἰδέας: Cic. in Top. mauult formæ quàm speciei uocabulo uti, quòd casus quidã plurales huius dictionis duri sunt, pro quibus dicit se malle formis, & formarum.

(SPECIALISSIMA est, quæ cũ sit species.) Specialissima, quam Laurentius infimam uocat, uocabulum est indiuiduis cõmune & proximum, Ciceronem, Catonem, Iulium, Proximè homo cõplectitur. Huiusmodi uerò species autor est Porphyrius, numero esse finitas: sed qui propter multitudinẽ ac uarietatem sub nostrã cognitionẽ cadere nõ potest.

Quare

e numerus quidem est harum aliquis, qui nunquã aut t, aut decrescit: rerum enim manet species: & (ut Plato at) extra singularia, id est, in mente diuina ueluti simu. quædam & archetypa, ut in architecti animo theatri :dificii alterius absoluta est φαντασία, quam ad rem pa-am accommodat. Cæterùm Aristoteles dicit id poëti-gmentis esse persimile.

N indiuidua scinduntur.) Indiuidua sunt singula & uni-uæ uni soli rei competunt: ut sunt propria omnia deo-& hominum: in brutis etiam nonnulla inueniuntur, ut berus, Pegasus, Balius, Phlegethon Item omnia astrorũ, onum, montium, marium, fluuiorum & urbium: ut Ar-:us, Bootes, Germania, Olympus, Nilus, Arethusa, Ocea, Roma. Hæc ob id apposui, ne omnia propria pueri pro-is indiuidua putẽt. Lapidum enim & herbarum propria sint, non tamen indiuidua, ut aquila, delphin, moly, sma-;dus: sed in his circunloquimur indiuidua, ut aurum Crœ ouis aquila, Pelias hasta: quę uulgo ex suppositione dicũ- indiuidua. Rodolphus Agricola existimat rectè species :i indiuidua, quando ad proximam speciem referuntur: & imam speciem genus dici, quãdo indiuiduis comparatur: , Danubius flumẽ est, Cato homo est: Cato species, homo :nus. Sic etiam apud Fabium usurpata hæc nomina uideri ›ssunt, libro duodecimo de genere dicẽdi, quo loco sic ait: uos ut homines inter se genere similes, differentes dixe-s specie. Sic & metalli genus dicimus, & aliud herbæ ge-us, genus uidelicet, pro specie usurpantes.

(COMMVNIS est, quæ inseparabilis est.) Porphyrius anc ἑτερότητα appellat: ea est qua quis aut sibi, aut alteri qua cunque modo dissimilis est, ut apud Homerum, ἀλλοῖος μοι εἶν φάνης, diuersus ô hospes mihi appares.

(IN eo quod est, quale essentiale.) Aristoteles libro quin :o τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ unum esse genus qualitatis asserit, quæ substantiæ differentia dicitur, ut si quæratur, quale animal sit homo, qualis figura circulus, accommodatè respondebi-mus rationale, carens angulis. Ex quo efficitur, nihil aliud esse differentiam, quæ una est ex quinq; uocibus, quàm qua litatem, qua rerum inter se differunt species. Aliam qualita-tem accidentalem uocat, qua inter se differunt indiuidua, ut

Duplex qualitas.

Plato & Socrates, quòd ille iuuenis, hic senex.

(DIFFERENTIA est, qua abundat species à genere.) Species ex genere & differentia constituitur: ut si animali additur rationale, est homo. Eo igitur quod plus est in homine quàm in animali, species genus superat, id autẽ est rationale. Quare abundare in præsentia plus est continere: ut si homo est, necesse est ratio: ut autem animal sit, rationem esse nihil est necesse: sic animal superat corpus, quòd ibi sensus necessariò sit, hic non requiratur.

(NAM si animali addas irrationalitatem.) Id nostri brutum uocant, Græci ἄλογον, quod Fabius mutũ transfert, perinde ac si sermone magis quàm ratione homo ab reliquis animantibus differat. Et apparet certè hominẽ prius λογικὸν λογικόν. dictũ, quòd solus inter animãtia quæ Deus creauit, loqueretur. Reliqua autẽ omnia ἄλογα, quòd sine sermone uitã ducerent. Deinde cùm eidem animali altiorem quandam ingenii uim tributam uiderent, λόγος etiam rationẽ significare cœpit.

(FICTO, aut nouo uerbo.) Cicero libro primo Quæstionum Academicarum, eandem propè sententiam expressisse uidetur his uerbis: Qualitates igitur appellãt quas Græci ποιότητας uocant, quod ipsum apud Græcos non est uulgi uerbum, sed philosophorum, atque id in multis. Dialecticorum uerò uerba nulla sunt publica, suis utuntur. Et quidẽ id commune omniũ ferè est artiũ. Aut enim noua sunt facienda rerum nomina, aut ex aliis transferenda. Quare & Aristoteles nos uocum securos esse iubet.

(VT homini canescere in senectute.) Ludouicus Viues de corrupta dialectica notauit hoc exemplum ueluti ineptum huic loco: Nam si in senectute canescere omni, & soli accidit, & semper accidet. Non enim Porphyrius canescere pro exemplo dedit, & explicuit in senectute: sed totum illud, canescere in senectute. Sic enim Græcis legitur: καὶ τῷ μόνῳ, καὶ πάντι, καὶ ποτὲ: ὡς ἀνθρώπῳ παντὶ τὸ ἐν γήρᾳ πολιοῦσθαι. Cæterùm Plinius autor est homines in Albania recẽter natos canescere.

(NON inferret coruo aut Aethiopi corruptionem.) Nisi pro Indo aut Aegyptio accipiatur, etiam hoc incõmodum erit exemplum. Est enim Aethiops qui nigra & adusta est facie, ἀπὸ τοῦ αἴθειν καὶ ὤψ: uerùm hic non potest candidus intelligi: ut nomen Aethiopis tueatur.

NANC

(NVNC breuiter.) Prædicabilia & prædicamenta docent, id de quo & quatenus prædicari possit. item ad definien- ac diuidendi rationem pertinent. LATOM.

(VNIVOCA dicuntur.) Vniuocũ est nomen cõmune rerũ usdẽ generis: Aequiuocũ, diuersi generis, quorũ alterũ est ropriũ dialectici, alterũ cũ incidit, distinguendum est. Illud gnorãdũ nõ est, termino prædicabili, quia cõis est, nõ rem liquã, & quasi corpus subiectũ esse, sed notionẽ, quæ est im ressa animo intelligẽtia, & cõmunis rei imago, quã naturã õmunẽ uocãt, quasi humanitatẽ in hominib. in animalibus animalitatẽ, & eodẽ mõ in cæteris. Excludunt singularia ab hoc nũero, qa pdicari nõ pñt, sed cæteris omnib⁹ subiiciunt.

(GENVS est.) Genus est notio ad multas differentias pertinẽs. (IN eo quod quid est uniuocè.) ἐν τῷ τί ἐστι, id est, essentialiter & secundũ substãtiã, quæ ad interrogationem, quid est, propriè respõdetur, ut, quid est homo, est animal.

(SPECIES est quę.) Species, est notio, cuius differẽtia ad gen⁹ tãquã ad fontẽ refert. Notio, est impressa animo intelligẽtia, enodationis intelligẽs, qa ad cõmunẽ naturã ptinet.

(EA est triplex, Cõmunis, propria, & specifica.) Res differunt accidentaliter, & substantialiter. Itaq; differẽtia cõmunis, & propria accidẽtalis est, specifica substãtialis. Accidẽtalis ad accidens refertur: substantialis ad substantiã rei pertinet: & forma ipsa substantialis est, quã uocant: hoc est, nota quædã essentialis, qua res secundũ id ipsum qđ est, à cæteris distinguit reb⁹. Sed hæc ferè ignota est propter intellectus nostri imbecillitatẽ. Itaq; pprio loco eius utimur in differẽdo, idq; si una uoce habere nõ possumus, plurib⁹ cõparam⁹.

(QVAE duplex est.) Ratione, sed nõ in re ipsa, quia idẽ est quod diuidit genus, & quod speciem constituit, ut corporeũ esse, uel rationale. (SPECIEM constituit.) Subalternam uel specialissimã, quare & duplex nomẽ sortitur, ut sit differẽtia tum generica, tũ specifica. Sed suprà uno nomine specifica appellata est, qa & generica speciẽ subalternã constituit.

(PROPRIVM quatuor modis.) Quod soli, sed nõ omni: quod omni, sed nõ soli: quod omni & soli, sed non semper: quod omni soli & semper. (ET hoc modo.) Proprium differt à differentia, quòd differentia substantialis sit, proprium accidentale & extra rei substantiam.

DE PRAEDICAMENTIS.

Prædicamentum.



RAEDICAMENTVM *igitur, est terminorũ qui secũdũ nullã cõplexionẽ dicũtur, natura rerũ coordinatio.* Et *sunt decẽ: Substantia, quãtitas, qualitas, ad aliquid, actio, paßio, ubi, quando, situs, habere.* Eorũ *quæ dicũtur, quædã dici de alijs poßunt uti de subiecto, quædã nõ possunt.* Item *eorũ quæ sunt, alia in subiecto sunt, alia nõ.* In *subiecto dicitur esse, quicquid cùm in aliquo sit, sine eo esse nõ poßit: & tamen non est pars eius, ut albedo in corpore.* Quare *quod in alio nõ est, substãtia est.* Quæ *uerò de alijs ut de subiecto dicũtur, uniuersalia sunt.* Quæ *dici de alijs nõ poßũt, singularia sunt.* Substantia *in primam & secundã partitur Aristoteles.* Prima *est, quæ neque de subiecto dicitur, neque in subiecto est, ut, hic homo, hic bos.* Secunda *est, quæ de subiecto quidem dicitur, sed in subiecto non est, ut, homo, bos.* Quando *alterum de altero, ut de subiecto prædicatur, quæcunque de prædicato dicuntur, omnia etiam de subiecto dicuntur.* Nam *cum animal de homine ut de subiecto dicatur, substãtia cùm de animali dicitur, etiam de homine dicetur: quod in ipsa serie prædicamẽti apertius comprehenditur.*

Substantia prima. Secunda.

SVBSTANTIA

Corporea, *Incorporea.*

CORPVS

Animatum, *Inanimatum.*

CORPVS ANIMATVM

Sensibile, *Insensibile.*

ANIMAL

Rationale, *Irrationale.*

ANIMAL RATIONALE

Mortale, *Immortale.*

HOMO

HOMO

Antonius, Cicero, Augustus.

Substantia non suscipit magis & minus. Nulla enim hoc ipso quod est, magis uel minus dicitur: nec quicquam ei contrarium. Verum hæc ita substantiæ propria sunt, ut ei cum quibusdam aliis communia sint. Illud maximè proprium, cùm una & eadem numero sit, contraria uicißim suscipiat, ut homo nunc albus, deinde niger. De substantia quidem satis.

NEOMA.

PRAEDICAMENTVM igitur est terminorum qui secundum nullam complexionem dicuntur, natura rerum coordinatio.) Prædicamenta sunt ordines & ueluti stationes, in quibus res unius generis collocantur: ut ad unum locum pertinent omnia, quibus substantię nomen competit, quemadmodum animantes, stirpes, lapides, aër, ignis, astra, unius dicuntur prædicamenti, quòd his substãtiæ nomẽ aptè quadret. Et in ordinibus his alia sunt latiora, alia angustiora latioribus illis subiecta. Veluti in re militari alii aliis parent, ut Tribunus Imperatori, Tribuno alii. Quo fit ut nihil aliud sit prædicamẽtum, quàm rerum simplicium ordo, quo cognoscuntur quædam natura esse infinita, ut Socrates, Cicero, Vergilius: deinde alia latiora, ut homo, animal, corpus. Postremò amplissimum substantia, unde totus ille rerum propè infinitarum ordo nomen habet: ueluti exercitus quisque à suo imperatore. Vocãtur autem huiuscemodi ordines κατηγορίαι, id est, prædicationes, seu prædicamenta, quòd hinc docemur, quæ uoces de quibus necessariò prædicentur.

(QVAE secundum nullam complexionem.) Quæ sunt significatione complexa, ad nullũ pertinent prædicamẽtum: ut homo iustus, quo substantia significatur unà cũ qualitate. Quæ autem uoce tantum complexa sunt, perinde ac simplicia ad sua prædicamenta pertinent: ut sunt quæ periphrasi proferimus.

(ET sunt decem.) Scribit Boëthius primùm ab Archita quodam Tarentino scriptum esse librum de prædicamentis, cui titulus esset περὶ λόγων καθόλου, quem apparet Aristote-

Prædicamenta re cõiuncta, ratione discreta sunt. lem legisse ac recognitũ pro suo edidisse. Sunt autem prędicamenta nõ re, sed ratione discreta: omnia enim ad substantiam ueluti fundamentum referuntur, hoc est, qualitas, quantitas, relatio, actio, passio, & cætera: substantia quidem seiuncta esse non possunt. Alia tamen quantitatis ratio, alia substantiæ, ut in uno homine omnia prædicaméta inuenias, quæ singula suis notis distinguuntur: ueluti si homo est, magnitudinem aliquam habebit, hîc quantitatem uides. Iam si ingeniosus aut rudis, si pater aut filius, si loquatur, si inambulet, si domi aut in foro, si hoc aut illo tẽpore existat, si stet aut sedeat, uestitus denique aut nudus, singula hæc sunt suis notis discreta, re coniuncta. *Fabius de prædicamẽtis.* Fabius lib. 3. è prædicamentis locos facit, per quos unamquanq; materiam duci oportere existimat: ut si de religione thema sit, quærendum esse ex prædicamento substantiæ religio quid sit; deinde qualis, cui descriptio seruit: & quanta, magnáne res sit religio. Item ex relatione, ad quid ualeat: & ubi sit, in animáne an in corpore: & quo tempore in nobis consummata esse possit. Rursum quid efficiat, quid sustinere possit. Verùm huic rei loci accõmodatiores sunt. Prædicamenta præstat res sui cuiusque generis continere atque in aceruum colligere.

(EORVM quæ dicuntur quædam dici de aliis possunt.) Vocum, aliæ significant res uniuersales, ut sunt quinque illa, de quibus nũc diximus, aliæ uerò singulares & infinitas, quę de rebus inferioribus dici nõ possunt: ut Roma, Carthago. *Subiecti significata.* Accipitur autem subiecti uocabulum uario modo, cuius ambiguitas ne quenquam fallat, paucis hîc illius significata recensebo. Subiectum itaq; in propositionibus est de quo aliquid dicitur, ut cœlum mouetur: hîc cœlum subiectum est. Item cui aliquid inest, ut ignis subiectum caloris: solum hoc *οὐσία*, id est, essentia uel substantia uocatur. Est etiam subiectum inferius sub superiori contentum, ut uirtuti subiectæ sunt continentia, fortitudo, & cætera. Item *ὑποκείμενα* uocat Aristoteles, circa quæ alicuius rei actio uel tractatus uersatur, ut sensuum obiecta, & artium argumenta seu materiæ, quæ *ὑποθέσεις* Græcè dicuntur.

(ITEM eorum quæ sunt, alia in subiecto sunt). Hoc est, rerũ quædã sunt substãtiæ & res per se existẽtes, reliqua inhærentia sunt: ut uirtus, color, magnitudo. Subiectũ autem hîc

hic pro substantia accipitur, quæ accidentium omnium ueluti ualis quædam est.

(SVBSTANTIAM in primã & secundã partitur Aristot.) Præcipuus prędicamentorũ usus est, uoces simplices finitione cõplecti: qua de re alii scripserunt lectu nõ indigna. Ob id nos hic tantũ ea explicabimus, quorũ Aristot. & post eũ Trapezuntius capita nõ recensuerunt, principio quidem de uoce substãtia. Ea est apud Aristotelẽ in categoriis οὐσία, quod essentia transferri potuisset. Substãtia enim illi magis respondere uidetur, quod Græci ὑπόστασιν dicũt. Cæterũ uerbi insolentia facit, ut rarius essentia quàm substantia, pro οὐσία dicatur. Habet autem tam Græca quàm Latina uox uarias significationes. Est enim cuiusque rei (ut ita dicatur) quidditas: quo intellectu accidentibus etiam substantiam tribuimus: ut uirtutis substantia, motus substantia, quemadmodũ Aristoteles in prædicamẽtis dixit de synonymis, & homonymis: sed ratio substãtię secundũ id nomen, & cętera. Verum hic οὐσίαν essentiam melius quàm substantiã transferemus: Omnibus enim rebus cõpetit esse, nõ autem subsistere. Dicitur & materia alicuius rei, in qua significatiõe rectius substãtię quã essentiæ nomen usurpabitur: quanquã diuersum uideatur Laurentio, ut si quis calicis substantiã aurum dicat. Item formam rei substantiã uocat Aristoteles: Laurentius qualitatẽ rectius uocari contendit. Postremò substantia dicitur res, quæ per se existit, & cui accidẽtia inhærẽt, ut homo, arbor, terra, ignis. Hæc diuiditur per corporeũ & incorporeũ. Incorporeas substantias nos spiritus, Aristoteles νοῦς, id est, mentes, aut, ut recentiores, intelligentias, uocat. Ex his deus est, quẽ Græci à θεᾶσθαι deducunt, quòd omnia conspiciat. Plato in Cratylo à θεῖν, id est, currẽdo, dictum uult: huic enim astra dii sunt. Sunt ex eodem colllegio δαίμονες, quorum qui boni sunt, ἄγγελοι & spiritus administratorii dicuntur: mali uerò κακοδαίμονες, quorum uaria leguntur in sacris nomina. Sunt etiam substantiæ incorporeæ animæ hominum immortales. Hactenus de incorporea. Corporea substãtia suo nomine corpus dicitur, qđ aliquoties significat quo anima continetur: quo sensu à Platone in Cratylo scriptum est, σῶμα ueluti σῆμα dici, quòd sit animæ sepulcrũ. Deinde corpus est id omne, quod sub sensum uel sensa uenire potest, & in quo sunt longũ, latũ, & altum,

οὐσία. ὑπόστασις. Substãtia. Essentia.

Substantia incorporea.

Deus.

Angeli.

Dæmones.

Corpus.

tum, quo sensu à Donato accipitur in definitione nominis: Nomē, inquit, pars orationis, corpus aut rem significās. Hoc uerò aut simplex, aut mistū, seu cōpositum est. *Elementa.* Simplicia autē numero quinq; sunt, quatuor elementa, quæ ideo sic dicū tur, quòd hinc reliqua omnia cōstent, aër, aqua, terra, ignis, & cœlū, quo nomine intelligitur quicquid ultra ignē est usq; *Aether.* ad mundi extremum, quod etiā æther uocatur, ut Aristoteles existimat, ἀπὸ ἀεὶ θεῖν, ꝙ sempiterno motu uoluatur, aut ut Anaxagoras à Græco αἴθειν, quòd ardeat. Plato uerò in Cratylo ex quatuor his reducit, uidelicet ἀεὶ θεῖ ἀέρα ῥέων, ꝙ semper circa aërem circunfusus currat. Constat autem in uniuersum decem maximis orbibus. Nam supremum cœlum & nonum quod crystallinū dicitur, recentiores astrologi inuenerunt. Pendent sub his octo alii orbes, quorum unus quòd astra continet fixa, ἀπλανὲς, & firmamentū dicitur. *Orbes.* Cui subiecti sunt septem inferiores, in quibus astra illa, quæ per cœlum uaga feruntur, cōtinentur hoc ordine, Saturnus, Iupiter, Mars, sol, Venus, Mercurius, Luna. Hactenus simplicia diximus & præcipuas mundi partes. *Cōposita.* Sequūtur nunc composita, omnia terra, humore, spiritu & calore concreta, è quibus illa sunt, quæ inabsoluta dicuntur, ut sunt grādo, nix, ros, pruina, fulgura, tonitru, & hoc genus rerum, quæ in sublimi generantur. Absoluta autem sunt, quorum cōpositio est firmior. *Absoluta.* Horum quædam uitam habent, quæ uiuentia dicuntur, reliqua uitæ expertia, ut metalla, aurum uidelicet, argentū, plūbum, æs, chalybs, & lapidum species innumeræ. Viuētia sine sensu, stirpes uocātur: cuius species sunt arbor, frutex & herba. Viuens cum sensu, animal nominatur: intellectuale quidem, ut homo, uel brutum: id uerò uel uolucre, ut aquila, cygnus, coruus, accipiter: & illa, quę insecta nominant, ut apes, muscæ: aut terrestre ingrediens quidem, ut bos, leo: aut serpens, ut coluber, uipera. Sunt & adhæsa quæ loco nō mouentur. Vltimi generis sunt aquatilia, ut lupus, mullus, anguilla. His licet amphibia addas, quod gen⁹ est castor, rana, phoca.

(QVANDO alterū de altero, & cætera.) Essentiæ prædicatio hic intelligēda est, alioqui canon ille locum nō habet, ut si dicatur, Socrates est homo, homo est generis communis: id non dicetur proinde de Socrate, quòd hæc posterior prędicatio ex accidente est, id est, uoce, nō de significatione.

(SVB

(SVBSTANTIA non suscipit magis aut minus.)Res omnis cuius aliquis terminus est essentiæ suæ, & ad quẽ cùm peruenerint, habent essentiæ illius nomen, nõ dicuntur esse hoc magis aut minus quod sunt: Quemadmodũ Cicero de beato dicit, lib. v. Tusculanarum quæstionũ: Nam & qui beatus est, inquit, nõ intelligo quid requirit, ut sit beatior: si est enim quiddam quod desit, ne beatus quidem est. Ita substantia cũ hoc esse dicitur quod est, non potest id magis aut minus dici: alioqui nõ peruenisset ad perfectionẽ. Quare grammatici præcipiunt ea duntaxat comparari posse, ad quorum perfectionẽ aliquid accedere, aut quibus aliquid detrahi potest. Nihil enim aliud est suscipere magis & minus, quàm cõparari, id est, intendi & remitti. Verùm si magis & minus accipiantur pro eo quod est potius, similius, aut propinquius, tunc substantiæ uocabula admittunt has uoces: ut magis homines Pygmæi, quàm simiæ, & spongia magis animal, quàm planta: id est, propinquior est, & magis accedit. Quod si ad essentiam referas, falsum erit: non enim animal est spongia, nec ob id magis aut minus. *Magis & minus.*

(NEC quicquã ei contrarium est.) Qualitates quæ substantiis insunt, contrarię esse possunt, ut in igne calor, in aqua frigus, ipsa autem subiecta diuersa sunt, non contraria.

(EORVM quæ sunt.) Hæc antepræedicamenta uocantur, quòd natura præcedant, & antè cognoscenda sint. Sic enim distinguunt in scholis. LATOM.

(SVBSTANTIAM.) Substantia, est res, quæ in subiecto non est, sed per se subsistit, ut homo, animal, arbor, Cicero, hæc arbor.

(QVANDO alterũ.) Regula prędicamẽtalis quę præmissa figura declaratur, & habet locum in omnibus prędicamẽtis.

(SVBSTANTIAM non suscipit.) Addit propria substantiarum, quibus ab aliis generibus distinguuntur.

Quantum autem est, quod diuiditur in ea, quæ insunt, quorum utrunque uel singulum, unum quid & hoc aliquid innatum est esse. Quantitas, alia continua est, alia discreta. Continua est, cuius partes communi *Quantum.* *Quantitas duplex.*

quodam

Locus Aristotelis expenditur.

quodam termino coniunguntur. Eius species sunt, linea, superficies, corpus, motus, & tempus. Sic enim princeps ille philosophorum, ac penè solus philosophus, in quinto primæ philosophiæ partitur. In categorijs motum neglexit, locum posuit. Locus tamen ut à physico auditu colligitur, superficiei species est. Quare patet aut alios secutum, locum à superficie separasse, aut ipsam trinam dimensionem non ut in corpore, sed potius in uacuo intellexisse. Continuorum per se quidem sunt linea, superficies, corpus: per aliud uerò quanta sunt quæ insunt quantis, ut motus & tempus. Nam etsi hæc ad ea, quæ per accidens quanta sunt, philosophus reducat, ut album quantum, quia superficies alba, differenter tamen, quòd hæc huius sunt prædicamenti. Discreta quantitas est, cuius partes nullo communi termino coniunguntur. Eius species sunt, numerus & oratio. Item eorum quæ quanta sunt, quædam constant è partibus, quæ inter se positionem habent: quædam uerò minimè. Dicuntur autem habere positionem, quæ non solùm continua sunt, uerùm etiam in loco sita permanent, quæ maximè omnium quanta dixerim. Huiusmodi sunt linea, superficies, corpus. Positionem uerò non habere dicuntur, quæ non sunt sita alicubi, sed ordinem tantùm partium habent, ut numerus. Quantitati similiter ut substantiæ, nihil est contrarium. Sed illud maximè proprium eius, secundum eam æquale aut inæquale dici.

Discreta quantitas.

NEOM. QVantum autem est, quod diuiditur in ea quæ insunt.) Quantitatis uocabulum hic paulo cõmunius erit quàm uulgò usurpatur, ut scilicet magnitudinem unà cum multitudine complectatur. Nam quantus est mons quærimus, magnitudinem putantes, & quantum nummorum, multitudinem:

iem: sed hoc solùm in singulari numero. Non enim quanti sunt in exercitu milites, sed quot, si numerum uelimus, quærimus. Quòd autem constat magnitudine ac multitudine quantitas, ostendit satis ea finitio, quæ est ex Aristotelis libro quinto primæ philosophiæ, capite undecimo. Quantum diuiditur in ea quæ insunt. Verbi gratia, ternario insunt tres unitates, in quas illum partiri licebit: & linea tripedalis in tres lineas pedales secari potest. His enim partibus constat tota. Quòd si quispiam diuidat integrum in partes illas, quæ sola uirtute insunt, non erit diuisio quantitatis: ut si hominem in elementa diuisum intelligamus, hæ partes non nisi potestate insunt. *Quantitas.*

(QVORVM utrunque.) Si in duo tantùm diuidamus, aut singulum, si plures fuerint partes.

(INNATVM est esse unum quid & hoc aliquid.) Ne scilicet intelligamus diuisionem in partes essentiales, hoc est, in materiam & formam. Neutrum enim horum natum est manere unum quiddã per se: sed forma si fit, in materia eam esse, & materiam forma aliqua instructam simili modo necessarium est.

(QVANTITAS alia continua.) Continua quantitas est, quam nunc magnitudinem diximus, cuius partes adunitæ sunt & ita contextæ, ut discindere & frangere opus sit, si diuellere uelis, hoc est, cuius partes in omni loco æquè hęrẽt. *Continuũ.*

(CVIVS partes termino quodã cõmuni.) Terminus communis unius quidem extremũ est, alterius uerò initiũ, id est, in linea punctus, in superficie linea, in corpore superficies. *Terminus communis.*

(EIVS species sunt.) Linea, quam Græci γράμμην uocant, longitudo est sine latitudine & altitudine, quam mathematici intelligunt fieri ex fluxu puncti in longum. Est autem punctum quiddam omnis magnitudinis expers, quo terminantur linearum extrema. Superficies, seu plana, nihil aliud sunt quàm corporum latera, hoc est, facies sine apparentia. Aristoteli enim nunc ἐπίπεδον, id est, planum, nunc ἐπιφάνεια dicitur. Hæc in duas partes solùm lineas habet, ut Gellius inquit: est enim latitudo cum longitudine absque profunditate. Non autem hæc intelligenda sunt, tanquam uspiam longitudo sit absque latitudine, aut latum absq; profundo, sed quòd ad longitudinis rationem nihil faciat latitudo, nec *Linea.* *Punctum.* *Superficies Lib. I. cap. 20.*

de ei

Mensurarũ nomina trifariam usurpãtur. de essentia longitudinis est profunditas. Nam ut longus sit, uerbi gratia, ager centum pedes, nihil refert siue uiginti, siue decem, siue unum etiam pedem latitudinis habeat. Sic ad superficiei rationem nihil facit altitudo: ut si circulum pingo, non hoc ago, ut profundi habeat aliquid, sed satis est spatiũ illud linea rotunda clausum esse. Nascitur autem superficies ex lineæ fluxu in latum, sed sola mathematicorum imaginatione. Tertia species est corpus, quod & solidum uocamus, Græcè σῶμα uel στερεόν, utroque enim utitur Aristotel. id est, quod in omnem partem lineas habet, qua longum, latum & altum est, ut sphæra, cubus, pyramides, cylindri. In his tribus partibus tota est Geometria: quare huc referẽda sũt omniũ mensurarum genera, ut digitus, palmus, pes, cubitus, orgya, passus, stadium, milliare. Quæ nomina & reliqua mensurarũ (ut obiter notem) aliquando longitudinem significant: ut si dicamus orbis dimetientem septem esse pedes longum. Nonnunquã pro superficie, ueluti cùm dicimus, si quadrati latus quodlibet est decem pedum, uniuersum centum pedes continebit: hic pes areolam significat longam & latã unum pedem, quem Columella quadratum uocat. Aliquando præter hæc etiam altitudinem: ut si geometer asserat cubum (id corpus est sex superficiebus quadratis cõtentum, ut tessera) cuius latus quodlibet est quatuor pedum, uniuersum constare sexagintaquatuor pedibus: hic per pedem intellige solidum, longum, latum, & profundum uno pede, quomodo accipi solet in ea Geometriæ parte quæ Stereometriã complectitur. Ad hunc modum reliqua omnia mensuræ uocabula, quibus spatia metimur, accipienda sunt. Motus est actus mouentis in re mobili, ut ædificatio actus ædificãtis in eo quod ædificatur. Tempus quid sit, Ciceroni difficile uisum est: definit autem Aristoteles, libro quarto de naturali auscultatione, ut sit numerus motus secundũ prius & posterius: hoc est, tempus est id, quod colligitur ex priore & posteriore motu cœli: tot enim numeramus annos, quot sunt Solis per signiferum conuersiones: tot dies, quot primi cœli circa terram raptus: tot horæ, quot mundi ortæ semunciæ. Macrobius Saturn. li. 1 capite 8. Tempus, inquit, certa est dimensio, quę ex cœli conuersione colligitur. Hinc igitur est quòd dicatur numerus numeratus. Partes tẽporis præcipuæ sunt, hora, dies, mensis,

Corpus solidum.

Pes longitudinis 16.



Pes latitudinis 64.



Pes profunditatis.

Motus.

Tempus.

mensis,annus,de quibus nõ indigna lectu collegit in tabella quadam Ioachimus Ringelberchius, olim in mathematicis præceptor meus. (LOCVS tamen ut à Physico auditu colligitur.) Physicorum librum intelligit, inscribitur enim περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως, id est, de naturali auscultatione. Meminit huius tituli Gellius lib.ult. Noctium Attic.cap.iiij. In Græcorum commentariis quatuor priores citantur de principiis, reliqui de motu. Finit autem Aristoteles locum in quarto ad hũc modum, ὥστε φησὶ τὸ τοῦ περιέχοντος πέρας ἀκίνητον πρῶτον τοῦτ᾽ ἐστὶν ὁ τόπος, id est, continentis extremum primum immobile, id locus est: nimirum ambientis & circunfusi limes, quo compræhensum cõtinetur, hoc est, per quem contactus est compræhensi & comprehendentis: ut concaua illa uasis superficies, qua humor continetur, & per quam contactus est humoris & uasis, non uniuersum uas. Sic corporum omniũ quæ intra cœlum cõtinentur, locus est caua cœli lunę extremitas, qua nos spectat. ex quo liquidum esse opinor, locum esse superficiei speciem. *Locus.*

(QVARE patet aut alios secutum.) Solet Aristoteles errores ueterum non antè confutare, quàm eo loco ubi huiusmodi tractatio ex professo agitur. Quare cùm ab aliis hanc specierum enumerationẽ accepisset, in categoriis locum reprehensioni non putauit. (SED potius in uacuo intellexisse.) Idem autor est in quarto de naturali auscultatione, ueteres locum intellexisse totũ illud inane spatiũ, quo corpus quodpiam teneri potest: ueluti si dicamus uniuersum spatiũ, quod infra cœlum est, locum elementorum & uiuentium.

(CONTINVORVM per se quidem sunt.) Per se quanta dicuntur, quorum partiendi ratio nõ aliunde petitur, ut longum, latum, profundum. Per accidens autem, quorum partibilitas ab aliis est, ut tempus, motus. Tempus enim ex motu, motus uerò ex spatio per quod fit, partitionem habet. *Quãta per se, & quanta per accidens.*

(DISCRETA quantitas est.) Discretũ dicitur, quod intercisum est, ut in animalibus ossa discreta sunt: nerui, caro, pellis, continua sunt. Species huius sunt, numerus & oratio. Numerus quidẽ discretorũ mẽsura, quẽadmodum longum, latũ, profundũ continuorũ. Sic dicimus homini in utroq; pede & manu esse quinque digitos, & eidẽ tricenos binos dentes: quod si pro his cõtinuũ esset os, quẽadmodũ de Pyrrho *Discreta.* *Numerus.*

traditum est, nō hoc iam numero, sed magnitudine metiremur. Definitur numerus à Boëtio, collectio unitatū, ut duo, tria, quatuor. Vnitas uerò nō numerus, sed numeri principiū est. Oratio ut hic sumitur, est syllabarū pronūtiatarū series et cōprehēsio, cuius principiū, ut in numeris unitas, syllaba est. Quare si qs hāc dictionē homo, sonet, oratio erit. Nulla aūt hic spectat significatio, nec refert, siue significabilis, siue non significabilis dictionis sint syllabę: sed tantū qua breues sunt aut longę, ut homo, pyrrhichius est, hominē, tribrachys. Species huius sunt dactylus, spondeus, & reliqui pedes, rhythmioēs. In duabus his speciebus Arithmetica & Musica, Poëtica & pars illa in elocutiōe oratoria de cōpositione, cōstituunt.

Habere positionem. (DICVNTVR autem habere positionem.) Dicuntur illa Aristoteli habere positionem, quorum partes adunitæ & alicubi sitæ sunt, & quidem manentes. Quare nec tempus, nec motus huiusmodi sunt, quòd horum essentia in cōtinua abitione sita est: nec numerus, quòd partes nō adunitę sint: nec oratio, quòd ut temporis, ita huius partes non manent: sed quemadmodum Aristoteles inquit, ἀλλ' ἔρχεται γὰρ οὐκ ἔτι τοῦτο λαβεῖν quod dictū est, id resumi nō potest: & notū illud Homericū est, ἔπεα πτερόεντα προσηύδα, id est, alatis uerbis affatus est. Ad quod Flaccus alludēs, Volat, inqt, irreuocabile uerbū

(SED illud maximè proprium.) Aequalitas & inæqualitas ex magnitudinis & multitudinis collatione nascuntur, ut numerus numero, grex gregi, mons mōti, æqualis aut inæqualis dicitur.
Aequalitas & inæqualitas. Ex hac numerorum magnitudinúmque sumuntur proportiones syllabarum in oratione, qua de re est apud Ciceronem in Oratore: copiosissimè apud Aldum Manutium in Grammatica. Sæpe etiam in qualitatum comparatione, ut, Oileus Aiax Telamonio celeritate inęqualis fuit, fortitudine Hector Achilli. Qualitati enim analogicōs magnitudinem tribuimus.

LATOM. (QVANTVM autem.) Quantitas est, qua quid diuiditur in partes similes totius, ut numerus & magnitudo. Ea nusquā est, nisi in corporali substātia, & primùm ei inhæret.

(VNVM quid.) Quod dicitur ad excludendas partes essentiales, ut materiam & formā, quę per se esse non possunt. Nam hic partes integrales intelligūtur, quæ in sola magnitudine & numero sunt: & per se sunt magnitudo & numer⁹.

(MOTVS.)Pro ſpatio quo fertur, quantitas eſt,pro agitatione relatio,quia actio uel paſsio.Sic locus pro ſola ſuperficie quantitas eſt,pro ſuperficie continente,relatio.

(ORATIO.)Oratio hic pro numero orationis accipienda eſt,ut ſunt metra & periodi apud poëtas & oratores,quę pedibus & menſura ſyllabarum cõſtant.Nam pro uoce,quæ auribus percipitur,uel etiã pro literarũ pictura, qualitas eſt.

Qualitas eſt ſecũdum quam quales eſſe dicimur.Eius quatuor ſunt ſpecies, Affectio & habitus, naturalis potentia uel impotentia, paſsio uel paſsibilis qualitas, forma uel figura.Inter affectionẽ & habitũ hoc intereſt, q. affectio & facilius imprimitur,& citius cõmutatur, ut cũ calore,aut frigore, aut ſanitate, alijſq; huiuſmodi homo afficitur.Habitus uerò permanẽtior & diuturnior eſt: ut uirtus,aut ſcientia,& ſimilia.Quare perſpicuum eſt, habitum omnẽ eſſe diſpoſitionẽ quãdã atq; affectionẽ: uel quoniam afficit quodãmodo, & diſponit id,cuius eſt habitus: uel quoniã tẽporis prolixitate innatæ quaſi fiunt affectiones quædã,& in habitũ transferuntur.Naturalis potentia uel impotentia dicitur uis quædam inſita, uel imbecillitas, qua facilius quicquã aut ægrius uel pati uel agere natura poteſt,ut durũ,molle,ualetudinarius,robuſtus,& quæ huiuſmodi ſunt natura inſita, non aduentitia. Paſsiones autẽ uel paſsibiles qualitates, ſunt non affectiones ipſæ, ſed ea, quibus affectiones efficiuntur, ut calor, frigus, albedo, nigredo,amaritudo,dulcedo,& ſimilia: quæ non ideo paſsiones dictæ ſunt, quòd ſubiecta earũ quicquã ab eis patiantur, uerũ quia ſenſus immutando afficiunt, ut amaritudo, dulcedo.Colores aũt magis,quòd ex motione ſolent innaſci nobis,ſic appellati ſunt,ut ex timore pallor,ex erubeſcentia rubor:quorũ qui diutius permanẽt,qualitates dicũtur: qui citius trãſeunt,paſsiones.Nã qui rubet, quoniã pudet,

Affectio. *Habitus.* *Naturalis potentia.* *Paſsio.* *Colores qua re paſsiones dicũtur.*

aut qui pallet, quoniam timet, pati aliquid dicitur: rubens autem, aut pallidus, non dicitur. Figura uerò est, ut circulus, triangulus, & huiusmodi. Magis & minus suscipit qualitas, sed non omnis. nec enim circulus aut triangulus alius alio magis est id, quod est. Quare id maximè proprium est qualitatis, ut secundum eam simile aut dissimile dicatur.

Naturalis potentia uel impotentia. QVALITAS est secundũ quã quales esse dicimur.) Hoc Arist. in hunc modum extulit, ποιότητα δὲ λέγω καθ' ἣν ποιοί τινες εἶναι λέγονται. In qua definitione τὸ τινὲς indefinitè accipiendũ arbitror, ueluti si dicatur: Qualitas est secundũ quam aliquis dicitur esse qualis. Agitur autẽ de qualitate accidentali, unde subiectum nõ substãtiæ suæ, sed alicuius inhærentis nomen habet. Latè hoc prædicamentũ fusum est, tũ propter uarietatẽ, tũ ꝓpter copiã rerũ, quę utraq; in eo maxima est: id qđ Arist. in initio huius categoriæ admonuit, ἐστὶ δὲ ἡ ποιότης τῶν πλεοναχῶς λεγομένων, inquit. (EIVS species sunt affectio & habitus.) Habitum inquit Cic. in rheto. appellamus aliquam in re perfectionẽ, aut uirtutis, aut artis alicuius perceptionẽ, aut quãuis scientiã, & itẽ corporis aliquã cõmoditatẽ, nõ natura datã, sed studio & industria cõparatã. Sunt igitur habitus, alii corporis, alii animi. Animi, sunt artes siue scientię, & uir-

Virtus. tutes, & quæcũq; his cõtraria sunt. Definitur autẽ uirtus autore Arist. Moraliũ li. ij. sic, ἔστιν ἄρα ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα, id est, habitus electiuus in mediocritate consistens. Cicero duas partes uirtuti subiicit: unã, quæ in sciẽtia cernitur: alterã, quæ tota in actione cõsistit, quę scilicet ad agendum secundũ rectam rationẽ nos incitat. Huiusmodi sunt iustitia,

Iustitia. fortitudo, tẽperantia. Iustitia est habitus animi cõmuni utilitate seruata suã cuiq; tribuẽs dignitatẽ: uel ęquitas tribuẽs unicuiq; quod suũ est. Huic partim subiectæ, partim agnatæ sunt, religio, quę aduersus Deũ est, pietas in parentes: itẽ hę, beneuolẽtia, liberalitas, gratitudo, comitas, ciuilitas, è quibus amicitia nascitur. Iam innocẽtia, uirtus, qua quis ab iniuria inferẽda coërcetur: & uindicatio, qua illatã à liberis & amicis defendimus. Postremò fides quę creditorum iustitia est, ueritas, obseruantia, & si qua plura sunt. Fortitudo in animi pa-

Fortitudo. tientia & subeundis periculis cernitur. Hanc Cicero in magnificẽtiam, fidẽtiã, patientiam, & perseuerantiam partitur.

De

Definitiones satis obuiæ sunt. Temperantia est rationis in libidiné atq; in alios non rectos animi impetus firma & moderata dominatio. Subiectæ sunt huic, cōtinentia, clemētia, modestia. Finitiones require apud Cicer. in Rhetor. Sunt loci huius uitia, quæ nihil aliud sunt, quàm animi prauitates, id est, *κακίαι*, per quas ad peccata & errores contra rationem incitamur. Horum quædam è regione & ueluti ex diametro uirtuti aduersa sunt: quædam imitari uidētur, ut, amicitiā adulatio, fortitudinem temeritas, religioné superstitio, liberalitatem effusio, uerecundiā timiditas, iustitiam acerbitas. Verùm hæc nō minus uitia sunt, quàm illa, quæ ex directo cum uirtute pugnant. Quæ hucusq; recensuimus, uolūtatis habitus dicuntur. Intellectus uerò sunt, prudētia, sapiētia, intelligentia, sciētia, & his cōtraria. Sapientiā uirtutū omniū principé Cicero uocat, & bonarum artiū matré. Definitur eodē autore Tuscul. Quæst. lib. iiij. hoc pacto: Sapientia est rerum diuinarum scientia, & cognitio quæ cuiusq; rei sit causa. Prudentia est rerū fugiendarū expetendarumq; sciētia: huic seruiunt memoria & intelligētia: hæc accipiēdi, illa retinēdi facultas. Huc etiā prouidētia referri potest, uirtus per quā animus ad ea quæ futura sunt, rectè cōstituitur. Sciētia, siue ars, est firma alicuius rei notitia longo usu ac exercitatiōe parata. Harū triplex ordo est, quædā enim sola speculatione continent, quarū finis est cognitio, Græci *θεωρητικὰς* uocāt, ut sciētia rerum naturaliū, & artes mathematicæ, Astrologia, Geometria, & cæteræ. Aliæ sunt, quarū finis est actio, sed quæ intra se cōsumitur, uelut Grāmatica, Dialectica, Rhetorica. Postremi generis sunt, quæ mechanicæ dicūtur, seu poëticę: hæ opus aliquod quod manet, & sub sensum uenire potest, absoluunt, ut pictura, res rustica, architectura. Hucusq; animi habitus recensuimus. Corporis uerò sunt, ad quos animus nō multū facit, sed quæ crebra exercitatione membrorū parantur: ut ars currēdi, equitandi, ferendi pondus, robur quęsitū, ut Milonis Crotoniatę: item natandi, canendi, pugnandi, iaciendi, luctandi peritia: & omnes in quibus consuetudo maiorē habet uim quàm intellectus. Habitibus Aristoteles adiungit *διαθέσεις*, nos ad uerbum dispositioné reddimus, quæ corporis aut animi sūt affectiones uelo ces: ut ualetudo, sanitas, ægrotatio, morb⁹, atq; huius species plurimę. Fieri enim

Temperantia. *Sapientia.* *Prudentia.* *Scientia.* *Dispositio.*

poteſt, ut ex iis quis in diuerſam ualetudinẽ citò ueniat. Sũt etiã affectiones illæ, quę ad conſuetudinẽ quaſi uiã ſternũt, ſuntq; ad habitũ quædã acceſſiones: ueluti ſi quis eloquẽtiæ artis præceptiones calleat, ac ſemel iterumq; in concione di xerit, nondum hunc ἕξιν illam habere dicimus, ſed διάθεσιν.

(NATVRALIS potentia uel impotẽtia dicitur uis quædam.) Sic Fabius δύναμιν, qua uoce Ariſtoteles in qualitate utitur, trãsfert. Sunt autẽ in hac ſpecie ea, quæ rhetorũ non nulli in perſonarũ circũſtantiis dignitates uocant, corporis nimirum aut animi cõmoda uel incommoda à natura tribu ta, quibus dicimur aliquid poſſe, aut nõ poſſe, ut homini na turalis impotentia eſt degendi ſub aquis, piſcibus diuerſa. Nullum genus qualitatis patet iſto latius. Omnibus enim rebus ineſt quiddam à natura, quo ſe tueãtur ac defendant. Hæc in animantibus ſpectantur bifariam: aut enim corpo tis ſunt, ut robur, uelocitas, fortitudo natura data, non para ta artè. Animi uerò, docilis, indocilis: memor, immemor: facilis, difficilis, tardus: & omnes animæ potentiæ, de quibus ſatis copioſè ab aliis ſcriptum eſt.

(PASSIONES autem uel paſſibiles.) Paſſiones autẽ & paſſibiles qualitates ſunt, quibus ſubiecta modo quodã affi ciuntur, ſed aliter atq; habitu & naturali qualitate. Hæc enĩ in ſubiectis manent, ac reſident, illa etiã mouent ac incitant. Quare paſſibiles dicũtur qualitates, quia paſſionibus, id eſt, affectionibus ſubiecta cõmouent: ueluti iracũdia, ſi ut motio animi intelligatur, qualis eſt in homine irato, affectus di citur, ſeu (ut dialectici loquũtur) qualitas paſſiua: ſi uerò pro ea procliuitate accipiatᷣ, qua homines aliis alii magis in hãc motionem proniſunt, iam qualitas eſt, naturalis impotẽtia ſcilicet. Ita innumera alia, quæ diuerſo ſenſu nũc in hoc, nũc in alio genere collocamus. Sunt autem paſſibiles qualitates corporis, quęcunq; aliquã corporis noſtri partẽ afficiunt, ut calidum, frigidum, eam partem mouent, in qua uis eſt tangendi. Vocant hæc uulgo ſenſuum obiecta, ſuntq; in quintuplici diſcrimine, perinde ut ſunt quinque in nobis ſenſus, tactus, guſtus, odoratus, uiſus & auditus. Tactũ mouent calor, frigus, humor, ſiccitas: quæ ab Ariſtotele primæ qualitates dicũtur. Deinde quæ hinc naſcũtur, graue, leue, lubricum, aridum, durũ, molle, craſſum, ſubtile. Guſtum uerò afficiunt

Paßibilis qualitas corporis.

unt saporū genera, dulce, amarū, salsum, & cætera. Odo-
um suaueolentia, graueolentia. Visum, album, nigrum, ui
e, puniceū. Auditu uerò, sonus grauis, acutus, & medius.
(SVNT non affectiones ipsæ.) Nomine affectionis, non
elliges hoc loco animi motiones, sed sensionē, id est, au-
ionem, tactionem, & reliquas sensiones. Hæc enim perti-
at ad categoriam passionis. Sensus utique est, affectiones
s, id est, sensiones non esse huius loci, sed ea, per quæ hu-
modi fiunt, id est, sensuum obiecta.

(COLORES autem magis quòd ex motione solent in-
ci.) Aristoteles autor est lib. ij. de generatione, colores di
assiuas qualitates, quòd ab interna quadā affectione fiat
hæc candida sint, illa nigra. Ea autem passio nihil aliud
quàm qualitatum contemperamētum. Passibiles quali-
es animi sunt, quæ Græcè πάθη dicuntur. Cicero morbos
mi aliquando transfert, sæpius perturbationes & ægritu-
es: ut, ira, misericordia, inuidia, spes. Hęc differūt à uitiis,
òd illa mouent, hæc manent. Spectāt autem ad eam ani-
partē, quæ rationis expers est, quam ἄλογον Græci uocant.
autem πάθος, uel, ut Aristoteles, passiua qualitas, auersa
ecta ratione contra naturā animi commotio. Nascuntur
ò ex opinione boni uel mali, futuri aut præsentis. Gene-
gitur quatuor, lætitia, libido, tristitia, metus: specie plures
t. Lætitia, quæ & uoluptas & gaudium dicitur, est cùm a-
ius opinione præsentis boni effusè & inaniter exultat.
biectæ sunt huic delectatio, iactatio, maleuolētia, ea qua
s lætatur alieno malo, inuidiæ coniuncta. Libido seu cu-
o, quæ & spes aliquando dicitur, est immoderata appeti-
alicuius opinati boni, cui subiecta sunt, ira, excandescen-
odium, inimicitia, discordia, indigentia, desiderium. Me-
, opinio mali est impendentis, cuius partes sunt, pigritia,
lor, terror, timor, pauor, exanimatio, cōturbatio, formi-
Aegritudo est, dum animus turbat opinione magni ma-
æsentis: sub qua sunt inuidia, æmulatio, obtrectatio, mi-
cordia, angor, luctus, mœror, ærumna, dolor, lamētatio,
icitudo, molestia, afflictatio, desperatio. Finitiones harū
uire apud Ciceronē quarta quæstione Tusculanarum.
quatuor principes affectiones commendent pueri me-
riæ in his Boëtii uersiculis:

Animi affectus.

Libido.

Metus.

Aegritudo.

Gaudia pelle, Nec dolor adsit,
Pelle timorem, Nubila mens est,
Spemq; fugato, Hæc ubi regnant.

Quas hactenus enumerauimus qualitates, tam corporis, quàm animi, si ut ueloces ac citæ accipiantur, dicuntur Aristoteli πάθη, Latinis Affectiones, id est, subitæ animi uel corporis mutationes. Corporis, ut membrorum horror, titubatio, tremor, pallor ex timore, rubedo. Animi uerò, excandescentia, metus, pudor, timor, & cętera: quæ si inueterata hæreant, passiuæ qualitates sunt, ut amor, odiũ, inuidia, amentia, quorum quædam inter uitia referre licebit.

(NAM qui rubet, quoniam pudet.) Vide Macrob. in Saturnal. lib. vij. capite xj. & Gellium xix. capite vj. Figura inquit Euclides lib. j. elementorum, est, quæ termino uel terminis clauditur: termino, ut circulis, sphæra: terminis, ut triangulus, cubus. Accipitur autẽ figura pro sola terminorũ conclusione: ipsæ enim magnitudines in quãtitatis prædicamento sunt. Figuræ Aristoteles adiecit τὴν μορφὴν, Latinis literarum μ & φ transmutatione forma est, quam animãtibus tribuunt, quòd ea formosa aut deformia dicantur. Sunt huius loci primùm mathematicorum figuræ in plano seu solido, deinde animantium formæ, id est, lineamẽtorum compositio, qualem in homine expressit Ouidius: Os, inquit, homini sublime dedit, & cætera: notus enim locus est. Huc etiã uocabula omnia referenda sunt, quibus significantur res solo artificio absolutæ, ut uestium nomina, pallium, chlamys, tunica, calceus, caligæ: ædificiorum etiã, ut domus, theatrũ, turris, pons, & cætera: & supellectilium & armorum, ut gladius, hasta, arietes. Vocabula uerò rerũ, quæ artificio quidẽ iuuantur, sed perficiuntur natura, ad substantiæ categoriam pertinent: ut lateres, calx, nitrum, sal, panis. In hoc prædicamento curiositas etiam distinguendi nihil obfuerit.

Figura. *μορφὴ,* *Forma.*

Similitudo. (QVARE id maximè proprium est.) Similitudo, dissimilitudo nascuntur ex qualitatum inter se collatione: ut dissimiles Mitio & Demea. Verùm non tam arctè ea uocabulorum obseruatur usurpatio: sæpe enim tribuuntur substantiæ, ueluti si quis hominem & leonem genere similes dixerit, specie uerò dissimiles, ut Fabius lib. xij. cap. x. Quos ut homines inter se genere dissimiles, differentes specie dixeris.

Ad aliquid

Ad aliquid.

AD *aliquid sunt, quæcunq; hoc ipsum quod sunt, aliorum dicuntur, uel quomodolibet aliter ad aliud.* Re*latiuorum alia æquali quadam comparatione consistunt: ut, simile, æquale, amicus:* Alia *maiore, ut pater, dominus:* Alia *minore, ut seruus, filius:* Alia *uoluntate, ut amicus, inimicus:* Alia *fortuna, ut dominus, seruus.* Relatiua *magis & minus suscipiunt: magis non omnia, sed quæ secundum qualitatem dicuntur, & quæ fortuna uel uoluntate cõsistunt.* Item *contraria nonnulla sunt, ut uirtus uitio, disciplina ignorantiæ. Omnia uerò inter se conuerti manifestum est:* Pater *enim filij pater, & filius patris filius. Sed oportet aptè alterum alteri reddere.* Nam *si quis dicit, alam auis, quoniam alterum alteri non aptè reddit, non poterit conuertere.* Non *enim in eo quòd auis est, sed in eo quòd alatum est, ala est. Casus sunt diligenter obseruandi, ut doctrina docti doctrina, sed doctus doctrina doctus.*

Relatiuorũ diuisio.

AD aliquid sunt, quæ hoc ipsum quod sunt.) πρός τι Aristoteles uocat ea, inter quæ mutuus est respectus, ita ut utrunque utriusque esse dicatur: ueluti pater filii, & filius patris esse dicitur: & dominus serui, seruus item domini. Horũ id quod prius accipitur relatiuum, ad quod refertur, correlatiuum uulgo dicitur. duo enim semper esse necessarium est. ob id Aristoteles dixit multitudinis numero, Sunt.

(RELATIVORVM, alia æquali quadã cõparatione consistũt.) Latè hoc prędicamẽtũ patet: usqueadeo, ut quibusdã uideantur sex reliqua prædicamenta sub relatione concludi posse. Cuius rei Aristotel. nõ ignarus duplicia fecit relatiua: ea, quæ nihil aliud essent quàm respectus, reliqua quæ præter respectũ, uel qualitatẽ, uel substantiã significarẽt, ut, caput, remus, uitium, scientia. Quorũ priora illa relatiua per se sunt, reliqua ex accidẽti. Quę uerò per se sunt, seu, ut uulgo, secundũ esse, propter cõfusam uarietatem in species ab Aristotele nõ distribuuntur. Cæterũ Trapezũtius duas diuisiones nobis tradidit. Prior est, Relatiuorũ quædã æquali com-

Relatiuorũ diuisio.

paratione cõsistunt, ea uidelicet, inter quæ argumẽtũ à pari sumere licet: ut uẽditor, emptor: uxor, maritus, & quæ simili intellectu dicuntur. Nõnulla uerò inæquali, ubi alterũ altero superius aut inferius est: ut pater filio, dominus seruo, doctor discipulo: inter quæ argumenta sumuntur à maiori & minori. Altera diuisio: relatiua aut uolũtate, aut fortuna fiũt: quib⁹ si adiicias, alia arte, alia natura cõsummãtur, perfecta erit diuisio. Natura uerò cõstant, quæ ex generatione cõparantur, ut parẽs & proles. Cognatione etiã, ut, auus, nepos, soror, frater, patruus. Itẽ affinitate, ut gener, socer, uitricus, & cætera. In his nominibus notandũ est, sub masculino fœmininũ cõtineri eiusdẽ cognationis aut affinitatis, ueluti sub auo auiã, nepote neptem, sub uitrico nouercã, priuigno priuignã. Naturalis etiam relatio est in proportionibus, ueluti dupla, tripla, quadrupla. Volũtate cõstant relatiuæ, quæ consensu fiũt, ut amicus, hostis, dux, comes, miles, quatenus officii nomina sunt, nõ dignitatis. Itẽ maritus, uxor, emptor, uẽditor. Fortuna autẽ efficiuntur huiusmodi, dominus, seruus, rex, subditus, similis, dissimilis, æqualis, uicinus, superstes, cõterraneus, collega, magnũ, paruum, multum, paucũ. Ex arte sunt, præceptor, discipulus, & quæ dicuntur similiter consultor, cõsultus, gubernator, rector. In hoc prędicamẽto diligenter illud notandũ est, nõnulla esse relata, quorum tam relatiuo quàm correlatiuo suũ nomẽ est: ut dominus seruus, pater fili⁹: nã sic reddit, pater filii pater, & cætera. Aliquoties ambob⁹ uocabulũ est cõmune, ut cognatus, affinis, amicus, socius. Sic enim dicimus, amicus amico amicus est. Aliquãdo uerò alterius nullũ est nomẽ, aut nõ satis usitatũ: ut iudex, cẽsor, rector, scientia, caput, remus: in quibus nomina fingẽda sunt, quo aptè referãtur: Veluti iudex iudicati, remus remiti.

(OMNIA uerò inter se conuerti manifestũ est.) Hoc Aristoteles in hunc modum extulit: πάντα δὲ τὰ πρός τι πρὸς ἀντιστρέφοντα λέγεται, hoc est, ad conuertentia cuncta dicuntur, quę sunt ad aliquid. Non enim satis est ex una parte alterum alteri reddere, sed mutuam redditionem esse oportet: hoc est, si primum ad secundum, secundum ad primum referatur, ut seruus domini est seruus, & dominus serui dominus.

(CASVS sunt diligenter seruandi.) Non redit semper secundum ad primũ in eodem obliquo, quo primũ ad secundum

dum exierat: ut ala alitis ala est, ales autem ala ales dicitur: scientia, sciti scientia, scitum uerò scientia scitum.

(AD aliquid sunt.) Quę ad alia referũtur, eoq; ipso aliud nomẽ accipiũt. Sed magna pars eorũ, aut caret nominibus, aut cũ aliis cõmunia habet. Et sunt duo, relatiuũ & correlatiuũ. LATOM.

(ALIORVM dicũtur.) Genitiuo casu, ut seru' domini seruus.

(VEL quomodolibet aliter.) Id est, alio quouis casu, ut sciẽtia scibilis sciẽtia, & scibile sciẽtia scibile. Itẽ uirt', bene affecti animi uirtus: & animus bene affect' uirtute bene affectus.

(SED oportet aptè.) In conuertendo sumenda sunt propria correlatiua, ut ala, & alatum, auris & auritum: quæ si desint, fingenda sunt nomina.

(DOCTRINA.) Nomine relatiuum est, re qualitas: sicut uirtus & uitium.

Actio est, qua cùm quicquid agit, in eo quod subijcitur, agere dicitur. Actioni sex partes subijciũtur: Generare, corrũpere, augere, diminuere, alterare, loco mouere. Horũ singulis species subiectæ & indiuidua, hominẽ uerbi causa, uel hũc hominẽ generare, aut corrũpere. Crementi uerò & diminutionis species sunt, in longũ, latum, & profundũ. Indiuidua hæc longitudine, uel latitudine, uel altitudine id facere. Alterationis, calefacere, albefacere, cæteraq; huiusmodi. Extremi generis, aliqua specie secundũ locũ motus mouere, ut, sursum, deorsum. Actio actioni nonnunquã contraria, ut, incendere, extinguere: quare magis ac minus suscipit, sed illud præcipuè actionis, ut in motu sit. Omnis enim actio in motu est, et omnis motus in actione seruatur. Actio.

Paßio est actionis effectus. Eius partes sunt, generari, corrumpi, & cæteræ quæ actionis eße dicebãtur, non ut agũt, sed ut patiuntur. Paßio.

Vbi est, quæ à loci circũscriptione procedit corporis locatio: nõ est enim idẽ locus & ubi: nã locus est in eo quod capit: ubi uerò in eo quod circũscribitur. Huic categoriæ nihil est contrariũ, quemadmodum nec loco. Et species eius, loci species sunt, nõ ut locantis, sed ut locati. Vbi.

Quan

Quando. Quando est, quæ relinquitur ex tempore rerum affectio. Id diuiditur in præteritum, instans, & futurum, quamuis nihil horum sit. Nam cũ hæc tria tempora sint, quando tempus non est, sed affectio rei quæ fuiße, uel esse, uel futura dicitur.

Situs. Situs, est partiũ quædam positio ac ordinatio, qua stantia, sedentia, aspera, læuia, & huiusmodi dicuntur. Eius species sunt accubitus, seßus, asperum etiam & læue, non ut tactu iudicantur, sed ut positione quadam partium inter se con-

Positio. stituuntur. Positio non suscipit magis & minus, quamobrẽ nec contrarium: nec enim stare aut sedere contraria sunt, ne uni plura contraria sint. Et quoniam de quocunq; dicitur

Habere. unum contrariorum, & alterũ. Nam stare de nonnullis dicitur, de quibus sedere rectè non dicitur. Habere dicuntur circa quæ aliquid adiacet: haberi uerò, ea ipsa quæ adiacẽt. Huius species, armatum esse, annulatũ esse. Suscipit autem habere magis & minus, quia etiam contrarium, non ut habitum, sed ut priuationem, ut armatus, inermis. Et cum mul

Habere sex modis dicitur. tis modis dicatur, quos Aristoteles enumerat, sex sunt. Habere qualitatem, ut disciplinam: quantitatem, ut proceritatem: quæ circa corpus uel corporis partem sunt, ut uestem, annulũ: membrũ, ut manũ habere: aut in uase, ut modius habet triticum: possessionem, ut domum: aut etiã uxorem, & uxor uirum habere dicitur: qui modus omnium alienißimus est: nihil enim aliud quàm simul habitare, ostendere uidetur: è quibus omnibus tertius solum modus huius est

Rerum oppositio. categoriæ. Opponi aliud alij quatuor modis dicitur: ut ad aliquid, quomodo duplum, dimidium: ut contraria, sicut album, nigrum, uirtus, uitium: ut habitus & pri-

Contraria. uatio, sicut uisus, cæcitas: auditus, surditas: motus, quies: ut negatio & affirmatio, ut sedet, non sedet. Contraria sunt, quæ in eodem genere posita, plurimum distant.

Eorum

Eorum alia mediata, alia immediata. Mediata dicũtur, quorum uidelicet alterutrum non est necesse susceptibilibus inesse, ut album uel nigrũ esse corpus quodlibet, neceße non est: poterit enim rufum uel flauum esse. Sanũ uerò [illegible] ægrũ esse neceße est animal, quare sanum & ægrum immediata sunt. Priuari uerò dicũtur, quæcunq; ea re carẽt, quæ cum inesse nata est, si cum inesse potest, non inest: nec enim uel catulus uisu, uel puer dentibus, antequàm habere poßit, priuatus esse dicitur. Prius & posterius quatuor modis dicũtur: Natura, tempore, ordine, dignitate. Natura id prius est, à quo uerti nõ potest cõsequẽtia, ut, si currit, mouetur: quia nõ retro fit, si mouetur, currit: mouere enim quàm curre prius est. Tẽpore autẽ, ut Romulus antè, quàm Camillus fuit. Ordine, ut exordium in oratione, narratione prius. Dignitate, ut homo brutis, consul prætore. His quintus accedit apud Aristotelem, quem etiam natura consistere opinatur. Is est cùm eorũ quæ mutuo se cõsequũtur, unũ alterius causa est, ut si homo est, uera est qua hominem esse asserimus, oratio. Item homo & risibile, pater & filius. Simul duobus modis, tempore ac natura dicitur. Tempore simul sunt, quorum generatio ac corruptio in eodem est tempore. Natura, quæcunque mutuo se consequuntur, cùm neutrum alterius causa sit, ut duplum, dimidium. Et quæcunque genus aliquod diuidunt, ut greßibile, uolatile, animal diuidunt. Motus species sunt sex, generatio, corruptio, crementum, diminutio, alteratio, loci mutatio. Et generatio corruptioni, & crementum diminutioni opponitur, & quies in loco, mutationi quæ per locum inest, cui etiam opponitur in contrarium locum mutatio, ut quæ ad inferiora est, ei quæ ad superiora est. Alterationi similiter in qualitate quies motui opponitur, qui uel ex eadem qualitate, uel

Priuatio.

Prius.

In prædicamentis.

Simul.

Motus sex species.

te,uel in oppositam qualitatem est, ut,in albedine quies ex albedine,uel in nigredinẽ motui opponitur. Verum de prædicamentis satis. Nunc de Syllogismo dicendum.

ACtio est,qua cum quicquid agitur.) Definit actionem Poretanus,interprete Hermolao, his uerbis:Actio seu factio est forma per quam in materiam subiectã denominamur uel agere uel facere. Requirit enim omnis actio subiectum in quod tendit, atque id pati dicitur:ut qui secat, in eo quod secat,dicitur secare.

(ACTIO actioni contraria est.) Actiones quæ ex contrariis nascuntur qualitatibus, inter se quoque contraria sunt, ut ex calore calefacere,& frigore infrigidare est.

Passio. (PASSIO est actionis effectus.) Actio omnis passionem efficit,quare effectum actionis passionem esse oportet. Cæterùm hocloco ambigere quis posset,ad quã categoriã spectent ea uerba,quorũ actio intra se cõsumitur: ut ambulare, proficisci,saltare,uociferare,loqui,currere,natare,uolare.In his enim manifestus est motus: quare aut actionẽ,aut passionem significabunt. Aperta huius rei erit dissolutio, si modò uiderimus unde hæc uis mouendi oriatur: & animã esse quæ moueat,corpus uerò impelli & agi. Ita in huiusmodi uerbis actionẽ passioni coniungendam esse clarũ est.Sic in arboribus crescere,in rebus surdis cadere,ascendere,pati est & agere.Ea quoq; uerba quæ ad sensum referũtur,audire,gustare, uidere, actionis uoce passionem significant. Commendent etiam pueri memoriæ nomina quæ grammatici uerbalia uocant,quoniam modò actiuam,modò passiuam habẽt significationem,ad utranlibet categoriam pertinere.

Quæstionis cuiusdã dissolutio.

Vbi. (VBI est,quę à loci circũscriptione procedit.)Ex hoc prædicamẽto ea estdenominatio,qua dicitur quippiã alicubi fieri,esse,fuisse,aut fore:ut,fuit Cæsar in Gallia,Vticæ se interemit Cato,bellũ geritur in Pannonia. Vel,ut rudius dicatur, quodcũq; respondemus interrogãti,ubi res sit,aut geratur.

(QVANDO est quæ relinquitur ex tẽpore.)Id est,denominatio,quę à tẽproe eritur,ut,antè fuit Homerus,quã Hesiodus,& prius uer quàm ęstas:ante ouum fuit gallina:sic,obiit Olympiade quarta,anno ab urbe cõdita cętesimo,& ut Christiani loquimur,anno à Christo nato millesimo quingentesimo

fimo tricefimofecundo.

(SITVS eft partium quædã pofitio.) Situs eft totius corporis uel partium in corpore difpofitio. Hic in animalibus uarius effe poteft: rebus inanimatis unus tantùm eft, ut iacet terra, feu pendet potius: ftant montes, cautes, faxa, fcopuli, arbores: pendét aër, ignis, aftra. Et in artificialibus, ftant turres, domus, templa, iacent areæ, lacunaria pendent. In animalibus plures fitus funt, ueluti nunc ftant, fedent, iacent, curua, recta, prona, fupina. Singulis etiã partibus fuus eft fitus, ut uultus humi defixus: facies ad cœlum uerfa, brachia expanfa aut cõiuncta, pedes compofiti aut diducti. In fumma, tota corporis modulatio huc referenda eft, à qua poëtæ pathos nonnunquàm fumunt: ut, *Situs.*

Obftupui, fteteruntque comæ, uox faucibus hæfit. Et:

Tendebat brachia fupplex. Item:

Tendens ad fydera palmas.

Huc etiam refer geftum, quem in Oratore fuo Cicero & Fabius uolunt, ut funt ftatus erectus, celfus, & cætera.

(HABERE dicuntur circa aliquid quæ adiacent.) Habere fignificat in præfentia ueftibus aut armis aut ornamento aliquo cinctum effe, ut cinctus gladio, munitus thorace, galea, ferro, toga, annulo, torque. Vocabula huius prædicaméti primogenia non admodũ multa funt: ipfa enim ueftium aut armorum uocabula ad qualitatis prædicamentum fpectant. Hic uerò fic fingimus bracchatum, togatum, armatum, torquatum, quæ concreta funt: abftracta uerò forent huiufmodi, bracchatura, cinctura, & cætera. *Habere.*

(SVSCIPIT autem habere magis & minus.) Comparari poffunt uocabula huius categoriæ, ut armatior eqûes pedite, & ueluti cataphractus, & ueftitior Sarmata quàm Indus, & cui pallium quàm cui lacerna.

(QVI modus omnium alieniffimus eft.) Per iocum ab Ariftotele uidetur dictum hunc effe alieniffimum habendi modum, ut fi quis non coniugem, fed dominam habeat, aut parum fidam: ueluti Martialis in Candidum ludit:

Omnia folus habes, hoc me puto uelle negare.

Vxorem fed habes, Candide, cum populo.

Et cuidam obiectum quòd illum haberet fcortum: interpretatio tamen Ariftotelis nullum iocum refipit.

OPPONI

(OPPONI aliud alii quatuor modis dicitur.) Oppositio hic pro rerum simplicium pugnantia accipitur, quam sic definiunt: Oppositio pugnantia est duorum nō permittentium se in eodem respectu eiusdē. Huiusmodi Cicero cōtraria uocat, & quę in scholis contraria dicūtur, ipse aduersa appellat.

(TEMPORE simul sunt.) Corruptionem addere nihil est necesse, nec addidit Aristoteles. Simul enim dicimus esse geminos. Item aliquando simul dicuntur fuisse aut esse, quorum nec ortus, nec interitus in eodem tempore est: ut simul fuere Cicero & Hortensius, Virgilius & Horatius.

(LOCI mutatio.) Huic speciei propriè motus uocabulum competit, reliquis mutatio magis. Nam è bono malum, seu uiuente mortuum factum, non motum, sed mutatū dicimus.

LATOM. (ACTIO.) Est motus agentis, qui in subiecto explicatur. Passio, qui in subiectū recipitur. Hæc sex ultima prædicamēta ad naturā relatiōis pertinēt, sed separātur: quia quę ad aliquid sunt, nascūtur ex substātiarū, quantitatū, & qualitatū cōparatione: hæc autē ex motu, loco, & tēpore, quę accidūt corporalibꝰ substātiis. Vnde & extrinsecus uenietia dicūtur.

(OPPONI aliud.) Hæc uocantur postprædicamēta, quòd natura posteriora sint, & prædicamentis accidant, quare etiam posterius cognoscenda.

DE SYLLOGISMO.



Yllogismus est oratio, in qua ex ijs, quæ posita sunt, aliud necessariò consequitur. Syllogismorum quidam prædicatorij, quidam conditionales. Prædicatorius est, qui propositionibus constat prædicatorijs: qui si tribus enuntiationibus absoluitur, perfectus est: si uerò duabus, imperfectus est, & enthymema. Hic perfectum completum & absolutum: imperfectum, incompletum ac inabsolutum idem intelligimus. Termini in syllogismo tres. *Syllogismus perfectus tribus constat enuntiationibus & tribus terminis. Terminorum, unum minorem: alterum, maiorem: tertium, medium appellamus. Hos in syllogismo bis sumi necesse est: nam aliter è tribus terminis*

nis tres conficere enūtiationes nō possumus. Medius ergo est, qui cùm bis ante conclusionem sumatur, in ea tertiò repeti nō potest. Maior uerò is est, qui in conclusione prædicatur. Minor uerò qui in cōclusione subijcitur. Enūtiationum quibus syllogismus constat, unam maiorē propositionem, alterā minorē, tertiam conclusionē nuncupamus. Maior propositio est, quæ ex maiore & medio termino cōstat. Minor est, quæ ex minore & medio termino constat. Conclusio est, quæ præmißis duabus propositionibus, maiore atq; minore, necessariò consequitur: in ea cùm rectè infertur, maior terminus: cùm non rectè, minor prædicatur, quod quinq; modis primæ solummodo accidit. Syllogismorū tres figuræ: Prima est, in qua medius terminus subijcitur in maiore, & in minore prædicatur, quamuis contrà fieri & soleat & poßit. Secunda est, in qua medius terminus semper prædicatur. Tertia est, in qua medius terminus semper subijcitur. Quas ob res patet figurā nihil aliud esse, nisi terminorum ordinem. Modus in syllogismo, propositionum series est, & sunt omnes decem & nouē; nouem primæ, quatuor secundæ, sex tertiæ figuræ. In hisce ea uerba ponamus, quæ & uulgò feruntur, & totam hanc rem præ oculis ponunt. Nam etsi barbariem quandam resonare uidentur, apertius tamen atq; breuius omnia tibi subijcient.

Propositiones syllogismi.

Figura.

Modus.

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Artis syllogisticæ uocabula.

In his (ut uides) uerbis quatuor uocales reperiuntur, quarum A *uniuersalem affirmatiuam significat,* E *uniuersalem negatiuam,* I *particularem affirmatiuam,* O *particularem negatiuam. Quare barbara primum modum primæ*

Vocales quid significent.

Barbara.

figuræ è duabus affirmatiuis uniuerſalibus eiuſdem qualitatis & quantitatis concluſionem inferre ſignificat:ut,

Bar Omne animal eſt ſubſtantia,
ba Omnis homo eſt animal:Ergo,
ra. Omnis homo eſt ſubſtantia.

Subſtantia, Aanimal, Homo.



O — *Signi Omnis.*
N — *Signi Nullus.*
Q — *Nota* — *Signi Aliquis.*
Qu — *Signi Aliquis non.*

Reſupina, hoc modo, Z Ꝺ zꝺ *indirectè colligere ſignificant.* Eodem *pacto in cæteris omnibus, ubi rectè illata concluſio eſt.* Præter*quam in quinque poſtremis primæ indirectè, in quibus minor terminus de maiore prædicatur in concluſione: uerbi gratia, baralipton.*

Subſtantia, Animal, Homo.


Baralipton.



Ba Omne animal eſt ſubſtantia,
ra Omnis homo eſt animal:Ergo,
lipton Quædam ſubſtantia eſt homo.

Ceſare. *Ceſare ſignificat in primo ſecundæ figuræ mō, ex prima uniuerſali negatiua, ſecūda affirmatiua uniuerſali, negatiuam uniuerſalem inferri, hoc pacto:* Riſibilis.

N O



Ce- Nullus aſinus eſt riſibilis,
ſa- Omnis homo eſt riſibilis.Ergo,
re. Nullus homo eſt aſinus.

Af.N. Homo. DARAPTI.

In tertia figura per Darapti *ex duabus affirmatiuis uniuerſalibus particularē affirmatiuam inferri hoc pacto:*

Ratione uti.Q.Animal.

O O



Da Quilibet homo ratione uti poteſt.
ra Omnis homo animal eſt:Ergo,
Q *pti* Quoddam animal ratione uti poteſt.

Homo.

Homo.

Ex his palã est, nihil ex duabus negatiuis uel particulari bus euenire: & quatuor conclusionũ genera, primis quatuor modis inferri, quorũ etiã duo secũda, duo tertia figura concludit, illa dupliciter negatiuã, hæc similiter particularẽ dupliciter. Quare patet semper conclusionẽ deteriori propositionũ inhærere. Sed figuras & modos syllogismorũ facile intellectos iri non dubito. Verum quoniam quatuor primi modi primæ figuræ, principatũ inter alios obtinẽt, aliorũ modorũ omnium diligens ad eos solet fieri reductio. *Reductio syllogismorum.* *Ea fit duobus modis. Per conuersionẽ ac cõmutationẽ propositionũ, nõnunquã & per impossibile: id est, cũ ad contradictionem alicuius concessæ, is qui cum disputamus, cõpelli tur: ac per conuersionẽ quidẽ quo pacto fiat reductio, cõsonantibus quæ in uerbis iã scriptis sunt, breuiter percipere possumus. Nam cũ quatuor primæ dictiones ab* B, C, D, F, *incipiãt, quæcũq; ab* B, *incipiunt uerba, ad primũ: quæ ab* C, *ad secundũ: quæ ab* D, *ad tertiũ: quæ ab* F, *ad quartũ modum primæ figuræ reducendum esse significant. Præterea ubicũq;* S, *litera scripta est, propositionẽ ostendit, quæ uocali signatur, eam quidẽ quæ immediatè præcessit, conuertendã esse simpliciter:* P, *uerò litera per accidẽs:* M, *autem propositiones, quas præmissas appellant, sic immutãdas significat, ut prima secundæ, secunda primæ locum occupet: quæ omnia ut apertius pateat, exẽplis uti nõ alienum est.* *Artificiũ reducendi syllogismos.* Fapesmo *ad* Ferio *reducitur, cùm ab eadem litera utraque dictio incipiat.* Fiat *ergo syllogismus in* Fapesmo *sic,*

Animal, Homo, Lapis.



Fa Omnis homo animal est,
pes- Nullus lapis homo est: Ergo,
mo Aliquod animal lapis non est.

Et quoniam P *litera, primæ syllabæ,* S *uerò secundæ inhæret, prima propositio per accidens, secunda simpliciter primò uertentur. Deinde quoniam* M *quoq; adscriptum est, altera in alterius locum transferenda est, sic:*
Lapis, Homo, Animal.



Fe Nullus homo lapis est,
ri Quoddam animal homo est: ergo
o. Quoddam animal lapis non est.

Iterum eadem conclusio illata per primam in quarto modo est: & huius reductionis, quæ per conuersionem fit, Proprium est, eandem conclusionẽ quemadmodum illius quæ per impossibile dicitur, alicuius contradictorium inferre, uerùm de ea pòst. Nunc alia exempla cõgeramus: Camestres in Celarent reducitur conuersione simplici secundæ, quoniam S, *post uocalem secundæ syllabæ sequitur, & transpositione propositionum, quoniam* M, *scriptum in dictione est: ut,*



Ca Omnis homo animal est,
me Nullus lapis animal est,
stres. Nullus igitur lapis homo est.

Contendis non sequi, idq; si aliquo illorũ quatuor (quoniã probatiores sunt) inferretur, nõ dubitares. Præponas igitur secundam conuersam simpliciter, sic:

Ce Nullum animal lapis est,
sa Omnis homo est animal:
re. Nullus ergo homo lapis est.

Quæ conclusio etiam si simpliciter conuertatur, erit illi eadem cui assentiri non poteras.

Homo

Homo Q. Animal. *Item Darapti in Darij sic:*



Da Quicquid ridet, homo est.
ra Quicquid ridet, animal est,
pti. Quoddam ergo animal homo est.

Secunda uertatur per accidens, quoniam P post secundæ syllabæ uocalem consequitur, sic:

Da Quicquid ridet, homo est,
ri Quoddam animal ridet,
i. Quoddam ergo animal homo est.

Ac per conuersionem quidem reductio quo modo fiat, ex his patet. Per impoßibile uerò, secundæ figuræ quatuor modi sic reducuntur: Primam propositionem reducendi syllogismi, primam collocamus. In secundo loco contradictorium ponimus conclusionis, ex quibus infertur contradictorium secundæ propositionis, quæ iam concessa ac data fuit. Ita compellitur is, quo cum disputamus, uel asserere duo contradictoria simul posse esse uera, quod est impoßibile, uel priori conclusioni assentire. Hoc igitur *pacto* primus *secundæ in quartum primæ.* *Reductio per impoßibile.*



Ce Nullus lapis homo est,
sa Quicquid ridet, homo est:
re. Nihil ergo quod ridet, lapis est.

Huic conclusioni tu non assentis, erit ergo contradictorium eius uerum: quare fit syllogismus in quarto primæ, sic:

Fe Nullus lapis homo est,
ri Aliquid quod ridet, lapis est:
o. Aliquid ergo quod ridet, homo non est.

Dedisti autem quicquid ridet hominem esse: das ergo impoßibile, id est, duo contradictoria simul esse uera. Sic

igitur primus in quartum primæ, secundus in tertium, tertius in secundum, quartus in primum reducitur. Nam *quoniam reducēdi syllogismi maior, id est, prima etiam in eo relinquenda in quem reducitur, deinde oppositū conclusionis in secundo loco ponendum est, primam syllabam dictionis primæ figuræ sume eiusdem uocalis, & oppositum conclusionis secundæ syllabæ aptes diligentius, & uidebis apertissime in quem unusquisq; reduci debeat.* Ex *prima oppositione igitur secundæ figuræ, & opposito conclusionis per hanc reductionem oppositum secundæ iam datæ propositionis in prima figura infertur.* In *tertia uerò primo loco conclusionis oppositum collocamus: deinde ipsam secundam propositionem secundo loco adhibemus, ex quibus sequitur in prima figura primæ propositionis reducendi syllogismi uel contradictorium uel contrarium.* Quare *primo quanta & qualis sit contradictoria conclusionis considera, & uocali primæ syllabæ alicuius dictionis, quæ in prima figura sit, sic accommoda, ut secunda propositio secundæ syllabæ conueniat.* Ita *reducitur* Darapti *in* Celarent, Felapton *in* Barbara, Disamis *in* Celarent, Datisi *in* Ferio, Bocardo *in* Barbara, Ferison *in* Darii, *hoc modo primus in secundum:*



Da ra pti. Omnis homo rationalis est,
Omnis homo animal est:
Quoddam igitur animal rationale est.


Cui si non assentis, erit id uerum:

Homo.

Ce la rent. Nullum animal rationale est,
At omnis homo animal est:
Nullus ergo homo rationalis est.

Sed

Sed omnem hominem eſſe rationalem, iam datum eſt: erunt ergo duo contraria ſimul uera, quod eſt impoßibile. Item quartus in quartum:



Omnis homo animal rationale eſt,
Aliquis homo albus eſt:
Quoddam ergo Album, animal rationale eſt.

Homo *Quod ſi non ſit, ergo id eſt:*

Da Nullum album, animal rationale eſt,
ti Aliquis homo albus eſt,
ſi. Aliquis ergo homo animal rationale non eſt.

Sed datum eſt omnem hominem eſſe animal rationale: dantur ergo duo contradictoria ſimul uera, quod impoßibile eſt. Non ignoro duos quoq; *poſtremos primæ, in Analyticis in duos priores conuerti, uerũ idipſum difficilius eſt, & parũ ad propoſitum noſtrũ, idcirco negligemus.* Et hæc *quæ de reductione diximus (magis ad excitanda ingenia, quàm quòd ad dicendũ multum pertineat) dicta ſunt.* Hæc *de prædicatorio ſyllogiſmo ſufficiant. Plura ſi quis uelit, ex aureo fonte hauriat. Ariſtotelis uolumina euoluat: nos (ut inſtituimus) ad conditionales præceptionem tranſeamus.* *Analyticorum libro priorũ primo, ca. xlj.*

DE ſyllogiſmo prædicatorio. Abſoluta ea parte quę elementa artis cõtinet, aliã tradit Trapezũtius, quã Græci κριτικὴν, nos iudicii partẽ dicimus, in qua argumẽtatio docetur. Ea eſt oratio, qua ꝓbationẽ rei ꝓbãdæ accõmodamus ꝓ neceſſariã cõcluſionẽ, cuius quatuor ſpecies facit Ariſtot. Syllogiſmũ, Inductionẽ, Exemplum & Enthymema: inter quæ principatũ obtinet ſyllogiſmus, ad quẽ reliquæ ueluti ad caput fontis referũtur. Dicitur autẽ ſyllogiſmus à Græco συλλογίζεσθαι, quod computare, colligere & ratiocinari ſignificat. (SILLOGISMVS eſt oratio.) Poſita, id eſt, datã, cõceſ-

sa, ac admissa. Est enim apud Aristotelem τεθέντων τινῶν, id est, ad uerbum, quibusdam positis: Gellius uertit, consensis & cōcessis. Vt enim τίθεσθαι apud Græcos, sic Latinis positū, pro cōcesso ac dato usurpatur: sic Cicer. lib. de Finib. iij. Quo posito & omniū cōsensu approbato. Et paulò pòst: His, inquit, ita positis, sequitur magna cōtentio. Est igitur syllogismus, cū ex duobus pronūtiatis cōcessis, tertiū necessariò colligit: ut, omnes stulti insaniunt. Auari omnes sunt stulti. Hæc duo si admiseris, sequitur, uelis, nolis, auaros omnes insanire.

Ratiocinatio quot partibus cōstet. QVI si tribus enuntiationibus absoluitur.) Cicero lib. j. de Inuentione, perfectam ratiocinationem contēdit quinq; partibus constare. Propositionem enim atq; eius confirmationem duas partes facit, simili modo assumptionē ac illius rationem. Quintam deinde, quam complexionem uocat. Fabius autem in tripartito manet. Vide utrunq; latius, & Trapezuntium libro tertio Rhetorices.

(SI uerò duabus, imperfectus.) Imperfectum syllogismum Aristoteles uocat, cuius conclusio per se non satis est euidens, ut sunt omnes, qui in secunda & tertia figura colliguntur, quorū cōclusiones si cū proteruo altercatore agas, per syllogismos primæ figuræ sunt confirmandæ. Trapezuntius imperfectum ait se uocare, qui nec completus nec absolutus est, id est, cùm altera propositionum desideratur: perfectum uerò, in quo duæ propositiones & conclusio sunt. Sic & Aristoteles enthymema imperfectum uocat syllogismum, quòd propositione constet & consequente.

(SYLLOGISMVS perfectus tribus constat.) Materia syllogismi sunt tres termini, qui singuli bis sumi debent, ut propositiones totidem fiāt, quot termini. Est uerò terminus unus, qui medius dicitur: hic sumitur ante conclusionē bis, semel in prima propositione, & semel in secunda. Ob id etiam communis uocatur, & causa cōclusionis, quòd per eum sciatur quomodo maior terminus cum minore conueniat aut discrepet. Maior terminus est, qui cum medio sumitur in prima ꝓpositione. Minor, qui cū medio in secūda sumit, & qui in cōclusione si directè concluditur, maiori subiicitur: ut hic,

Terminus medius. *Maior.* *Minor.*

Omne animal habet sensum,
Mundus est animal:
Igitur Mundus habet sensum.

Med

Medius seu cōmunis terminus, est animal: bis enim sumitur ante conclusionē. Habere sensum maior: Mūdus, minor.

(ENVNTIATIONVM quibus syllogismus cōstat.) Pronuntiatorū quibus syllogismus componitur, nō sunt eadem apud omnes nomina. Nam primū alii propositionem, ut Cicero: Alii intentionem. Rodolphus expositionem appellat. Secundam assumptionem, cōcorditer uocat. Vtranq; Aristoteles πρότασιν, sed primā maiorē, quòd maior terminus in ea sumatur: secundā minorē, à minori quoq; termino. Vltimam uerò συμπέρασμα, Cicero complexionem, Fabius connexionem uocat. Propositionem sic finit Cicero: Est, inquit, propositio, per quā breuiter locus is exponit, ex quo omnis uis oportet emanet ratiocinationis. Estq; ueluti locus cōmunis & θέσις quædam: id est, generalis sententia, à qua Fabius etiam argumentationis initiū esse uult. ut Tyrannos omnes licet impune occidere. Omnis loquacitas odiosa est. Artes discuntur exercitatione. Assumptio est per quam id quod ex propositione ad ostendendum pertinet, assumitur. ut Sophistica est loquacitas. Dialectica est ars. Cōplexio, & ut uulgo conclusio, est, per quam id quod conficitur propositione & assumptione, breuiter subiicitur, ut, Dialectica igitur exercitatione discitur. Sophistica odiosa est. *Pronuntiatorū in syllogismo nomina.* *Propositio.* *Assumptio.* *Conclusio.*

(SYLLOGISMORVM tres figuræ.) Figurarum uarietas ex eo nascitur, quòd medius terminus nūc in utroq; subiicitur, nunc prædicatur, nūc in uno prædicatur, in altero subiicitur. Quare figura nihil aliud est, quàm medii termini legitima & artificialis dispositio. Prima est quando medius terminus in prima subiicitur, & in secunda prædicatur, autore Aristotele: quod nisi fiat, erit ubi ex ꝓpositionibus ueris, falsum colligas: ut in secundo modo primæ figuræ, hoc pacto, *Figura.*

Nulla auaritia est effusio.
Omnis effusio est uitium:
Igitur nullum uitium est auaritia.

(QVAMVIS contra fieri soleat & possit.) Sæpe incides in syllogismos ubi terminus medius in prima propositione prædicatur, & subiicitur in secunda, quales omnes illi apud Macrobium lib. secundo Somnii Scipionis, quibus probatur animæ immortalitas: ut,

Anima seipsam mouet,

Quod se ipsum mouet est immortale:
Anima igitur est immortalis.

Et apud Ciceronem quinto de Finibus:

Bonum omne laudabile est,
Laudabile honestum est:
Igitur bonum honestum est.


Propter hoc genus syllogismi quidam quartam figurã faciunt, de qua quid censendum sit, paulò pòst dicemus.

(BARBARA, Celarent, &c.) His uocabulis ars syllogistica exprimitur, quas excogitauit primus Græcè Alexander Aphrodisæensis in singulis figuris, ut γράμματα ἔγραψε γραφίδι. Vide eius commentaria in primum priorum. Latet in his uocibus tota ratiocinandi peritia in omnibus figuris. Primæ figuræ seruiunt dictiones, quæ duobus prioribus uersibus cõtinẽtur: sed quatuor tantũ primæ legitimos ac usitatos modos faciunt. Est autem harum dictionum usus efficere in singulis modis legitimã ratiocinationem, cui rei seruiunt uocales quatuor, A, E, I, O, quarũ in singulis syllabis una reperiẽ. Quare si in prima syllaba sit A, significat maiorem syllogismi fore uniuersalem affirmatiuã: si E, uniuersalem negatiuam: I, particularem affirmatiua: O, particularem negatiuam. Pari ratione secundã syllabam dictionis secundæ seu minori propositioni accõmodabis, & tertiam conclusioni: si plures fuerint syllabæ quàm tres, hæ otiosæ sunt. Vocabulum igitur Barbara, primum modum primæ figuræ significat, in quo syllogismus fit è maiore, minore, & cõclusione uniuersali affirmatiua. Nam quæuis syllaba habet uocalem A.




Bar Omne honestum est laudabile,
ba Omne bonum est honestum: ergo,
ra. Omne bonum est laudabile.

Schematũ uerò quæ apposita sunt hic intellectus est, solent enim in his se pueri torquere. Si figura rotundis lineis cõstat, & triplici uertice, prim⁹ uertex seu cornu maioris termini locus erit, secũdus medii, tertius minoris. lineis uerò seu spatiis primũ maiorẽ ppositionẽ, secundũ minorẽ, tertiũ quod utrũq; continet, cõclusionẽ. Estq; hoc schema tantum primæ figuræ: Si triãgli species est, cuius basis supina iacet, uertex supremus mediũ terminũ significat, inferiorũ unus maiorẽ terminũ, alter minorem: latera



tera propositiones possident. Estq; id schema secundæ figuræ. Triangulus superiori cōtrarius infimo angulo mediū terminum significat, reliquis maiorē & minorē: quemadmodū signauimus & elemētis, quorū A maiorē terminū, B mediū, C minorem: & numeris ex quibus 1 propositionis, 2 assumptionis, 3 conclusionis locum significat. Secūdus modus primę figurę & reliqui omnes, cuiusmodi propositionibus constabunt, ipsæ dictiones satis docent: ob id exempla tantū apponemus, quibus breuitatis gratia Trapezūtius supersedit.



CELARENT.

Ce Nullum honestum est turpe,
la Virtus omnis honesta est: ergo,
rent. Nulla uirtus est turpis.

Tertius modus & quartus conclusionem efficiunt particularem: Prior affirmatiuam, posterior uerò negatiuam: uocabula sunt Darii & Ferio.

DARII.

Da Malum omne fugiendum est,
ri Quædam uoluptates malæ sunt: ergo
i. Voluptates quædam sunt fugiendæ.

Posset hic syllogismus uniuersalis uideri.

FERIO.

Fe Nemo sapiens animi ægritudine afficitur.
ri Fortis sapiens est:
o. In fortem igitur ægritudo cadere non potest.

His adiiciūtur quinque modi, quibus indirectè seu præpostere concluditur, uidelicet dum maior terminus in conclusione minori subiicitur: ut,

Modi indirectim concludentes.

Omne animal est substantia,
Omnis homo est animal:
E quibus inferendum erat sic:
Igitur omnis homo est substantia.

Pro qua ea subiicitur quæ ex hac sequitur per accidens facta cōuersione, Quædā substantia est homo. Horum primus est, quādo ex maiore & minore uniuersali affirmatiua, colligitur particularis affirmatiua: uocabulum est Baralipton. Secundus, qui significatur per dictionem Celantes: sic colligit,

Ce Nulla temperantia est uitium,
lan Omnis frugalitas est temperantia:
tes. Igitur nullum uitium est frugalitas.

In

In qua conclusione minor terminus, qui cum medio in assumptione sumebatur, de maiore prædicatur. Reducitur hic modus ad secundā primæ figuræ, conclusione uersa simpliciter. Nam ex quibuscunque præmissis, seu è quocunque antecedente conclusio quæpiam sequitur, ex iisdem conuersa inferri potest. Veluti ex quibus hoc sequitur: Nullum honestū est turpe, ex iisdem & illud: Nullum turpe est honestum. Canon Dialecticorum est, quod ratæ alicuius argumentationis sequitur consequens, sequitur ex eiusdem antecedente. Porrò hic colligendi modus admodum rarus est. Indirectam uerò conclusionem & illam opinamur rectè uocari, quæ ueræ conclusioni proxima est, siue quę ex ea sequitur, non quidem conuersione, sed affinitate ueri: ut,

Regula cōsequentiæ.

Omne bonum est expetendum.
Omnis uirtus est bonum.

Manifesta conclusio est: Omnis uirtus est expetenda.

Pro qua illam subiicere licet: Virtus non est fugienda: aut, uirtus est colenda. Meminit huius Cicero lib. I. Inuentionis de argumentatione. Martianus Capella hanc conclusionem ait uocari συμπέρασμα, quod est confinis conclusio. Verùm Aristoteles ea uoce pro qualibet conclusione utitur. Tres reliqui modi indirectè concludentes, cuiusmodi sint docent hæ uoces: Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum. Secūdæ figuræ quatuor sunt modi omnes negatiui: nihil enim in hac figura ex duabus affirmatiuis, aut maiori particulari, necessariò sequitur. Vocabula sunt, Cesare, Camestres, Festino, Baroco.

CESARE.

Ce Nulla auaritia laudabilis est,
sa Omnis parsimonia laudabilis:
re. Ergo nulla parsimonia est auaritia.

CAMESTRES.

Ca Omnis improbus miser est,
me Nemo sapiens miser est:
stres. Ergo nemo sapiens est improbus.

FESTINO.

Fe Nullus tyrannus Remp. rectè administrat,
sti Augustus Rempublicam bene administrauit:
no. Igitur Augustus non fuit tyrannus.

BAR

BAROCO.

Ba Qui ex Deo sunt, uerba dei audiunt.
ro Iudæi Christi uerba audire noluerunt:
co. Iudæi igitur ex Deo non sunt.

Tertia figura sex modos habet, quibus illud propriũ est, conclusionem semper efficere particularem, & minorem affirmatiuam habere. Vocabula sunt, Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

DARAPTI.

Da Omnis uirtus labore paratur,
ra Omnis uirtus honesta est:
pti. Igitur honesta quædam labore parantur.

FELAPTON.

Fe Nemo Græcorum Barbarus est,
lap Omnes Græci mendaces sunt:
ton. Ergo quidam mendaces non sunt Barbari.

DISAMIS.

Di Quidam Germani sunt fortes.
sa Omnes Germani sunt ebriosi:
mis. Ergo quidam fortes sunt ebriosi.

DATISI.

Da Omnis uoluptas delectat,
ti Nonnullæ uoluptates sunt perniciosæ:
si. Ergo quædam perniciosa delectant.

BOCARDO.

Bo Non omne bellum fugiendum est,
car Omne bellum calamitosum est,
do. Ergo quædam calamitosa non sunt fugienda.

FERISON.

Fe Nulla uirtus nocet.
ri Est uirtus quæ in dando consistit:
son. Ergo dare aliquid nihil nocet.

Quicunque pręter dictos modos finguntur, omnes ἀσυλλόγιστοι. Sunt qui tribus prædictis quartam figuram adiiciunt, in qua medius terminus prædicatur in maiore, & subiicitur in minore: ut,

Socrates est homo,
Homo est animal:
Socrates igitur est animal.

Fortassis

Fortassis hac ratione moti, quòd huiusmodi ratiocinationes non infrequentes sunt, ut apud Macrobium secundo commentariorum super Somnium Scipionis:

Anima semper mouetur,
Quod semper mouetur, est immortale:
Anima igitur est immortalis.

Et apud Ciceronem quarto de finibus:

Bonum omne laudabile est,
Omne laudabile honestum:
Igitur omne bonum honestum. Et alibi,
Sapientes sunt fortes,
Fortis non afficitur ægritudine:
In sapientem igitur non cadit ægritudo.

Postremò apud Aristotelē ipsum, & in cōmentariis Græcorum super eum, ferè semper hoc pacto colligitur. Nos hoc genus argumentationis etsi syllogismo proximum est, non tamen planè syllogismū, sed soriten, seu gradationem existimamus. nihil enim uetat cùm sic incœperis: Socrates est homo, homo est animal, ad quartam uel quintā, uel sextā etiam propositionem peruenire, ut tamen genus argumētationis non mutetur, ut Socrates est homo, homo sensum habet, quod sensum habet animal est, animal uiuū corpus, corpus substātia: Socrates igitur substātia est. Quam argumentationem nemo rectè syllogismū uocauerit, etsi Macrobius aceruum illum propositionū de anima ἀκυρῶς dixerit syllogismū. Omnis enim syllogismus tribus enuntiationibus, nec pluribus perficitur. Rectius igitur cū Cicerone, ubi ad cōclusionē gradibus quibusdam peruenitur, Soriten, seu aceruum uocabimus. Verùm si syllogismum esse contendas, ubi ex duabus tātùm propositionibus gradatione cōiunctis, (ut, homo est animal, omne animal est substātia) cōclusionem collegeris, nihil repugno, modò in huiusmodi syllogismis minorē primo loco, maiorē secūdo meminerimus positam. Non enim semper (ut Cicero admonet) à propositione incipiēda est ratiocinatio: sed ab assumptione aut conclusione etiam, quod apud Aristotelē non infrequens est. Nam in hoc syllogismo,

Clodius insidiator est,
Omnis insidiator iure occiditur:
Clodius igitur iure occisus est:

Est

Est quidem talis medii dispositio, qualem in quarta fingũt:sed maior secũdo loco,& minor primo posita est. Quas si in suum ordinem redigas: ut, omnis insidiator iure cæditur,quæ natura ipsa propositio est.Deinde assumptio fit,per quam id assumitur, quod ex propositione ad ostendendum pertinet:Clodius est insidiator,igitur iure occisus est: primã figuram agnosces. Hæc prolixius ostendimus, quo admoneremus iuuentutem, ut si quando medius prædicatur in prima,& subiicitur in secunda,aut gradationem quandam esse, aut assumptionem propositionis, & propositionem assumptionis loco positam esse meminerit.

(VERUM quoniam quatuor primi modi.) Superius meminimus secundæ & tertiæ figuræ syllogismos imperfectos haberi,quòd non satis euidenter concludant. Quare ut necessaria quoque uideatur in his conclusio, omnes ad primæ figuræ modos quatuor reducuntur. Est autem reductio duplex:una,quam ostensiuam uocant:ea fit cõuersione propositionum,& transpositione, ut scilicet maior minoris, & minor maioris loco ponatur. Cæterùm ut sciatur quis modus secundæ & tertię,ad quem modum primę figuræ reducatur, notabis consonantẽ dictionis initialem.Quæ si B est,fiet reductio ad primum modum,scilicet,Barbara:si C,ad Celarẽt: si D,ad Darii:si F,ad Ferio.Omnes enim ex his quatuor unã habent initialem.Deinde tenendum est, si S, ponatur in dictione,debere propositionem cõuerti simpliciter,quæ notatur uocali, quam S, continuò sequitur: si P, per accidens.M, uerò transpositionem propositionum significat:& si C,in dictione reperitur præterquàm in principio, modum illum nõ posse hoc genere conuersionis ostendi. Verùm ut quale sit quod dicimus clarius cernatur, uniuersam rem spectandam oculis subiecimus. Secundæ figuræ modi reducuntur ad modos primæ,hoc pacto,ut sequitur: Primus quidem,cuius uocabulũ est Cesare,ad secundũ modũ primæ figurę, cũ quo prima litera conuenit,conuersa simpliciter maiore: sequitur enim primam syllabam S.

CESARE.		CELARENT.
Nulla arbor est animal,		Nullum animal est arbor,
Omnis homo	Versa simpl.	Omnis homo est est ani

est animal:ergo	animal:ergo
Nullus homo	Nullus homo
est arbor.	est arbor.

Secundus uerò ad secundum primæ, minore & conclusione conuersis simpliciter, & transpositis præmissis: M, enim in dictione positum est:

CAMESTRES.		CELARENT.
Omnis homo est animal,	ma.	Nullum animal est arbor,
Nulla arbor est animal: ergo	simp.	Omnis homo est animal:ergo
Nulla arbor est homo.	cõuer. nent	Nullus homo est arbor.

Tertius in quarum maiore conuersa simpliciter:

FESTINO		FERIO.
Nulla arbor est animal,		Nullum animal est arbor,
Aliquis homo est animal:ergo	uersa simpl.	Aliquis homo est animal:ergo
Aliquis homo non est arbor.		Aliquis homo non est arbor.

Modus quartus Baroco hac ratione nõ reducitur: sed alia, de qua pauló pòst, atque ob id in dictione C, positum est. Cæterum primus modus tertiæ figuræ ad tertium primæ, minore conuersa per accidens.

DARAPTI		DARII.
Omnis homo est animal,		Omnis homo est animal.
Omnis homo est substantia	Vers. per accid.	Quædam substantia est homo:
Ergo quædam substantia est animal.		Ergo quædã substantia est animal.

Secundus tertiæ in quartum primæ, minore conuersa per accidens.

FELAPTON		FERIO.
Nullus homo est arbor,		Nullus homo est arbor.
Omnis homo	Vers. per accid.	Quoddam animal est ani

est animal:
Ergo quoddam animal
non est arbor.

est homo:
Ergo quoddam animal
non est arbor.

Tertius in tertium primæ, maiore & conclusione uersa simpliciter, & transpositis præmissis.

DISAMIS

Quidam homo
est animal,
Omnis homo est
substantia:
Ergo
Aliqua substan
tia est animal.

cōuer. ma. uent simp.

Ver. simpl.

DARII.

Omnis homo est
substantia,
Quodam animal
est homo:
Ergo
Quodam animal
est substantia.

Quartus in tertium minore uersa simpliciter:

DATISI

Omnis homo est
animal.
Quidam homo est
substantia:
Ergo quædam sub-
stantia est animal.

Ver. simp.

DARII.

Omnis homo est
animal,
Quædam substan-
tia est homo:
Ergo quædā substan
tia est animal.

Quintus hac reductione nō ostenditur. Sextus uerò ad quartum primæ figuræ, minore conuersa simpliciter.

FERISON

Nullus homo est
arbor.
Quidam homo est
animal: Ergo
Quoddam animal
non est arbor.

Ver. simp.

FERIO.

Nullus homo est
arbor.
Quoddam animal
est homo: Ergo
Quoddam animal
non est arbor.

(PER impossibile uerò.) Ad impossibile ducimus, cùm falsum ostendimus, quod sequit ex contradicēte illius quod probare uolumus, ac proinde ipsam cōtradicētē esse falsam. Docēt enim dialectici (inquit Cicer.) si ea quæ rem quampiā sequuntur falsa sunt, falsam esse illam ipsam quam sequitur. ut, peccata non sunt paria. Hoc si uelimus per impossibile probare, accipiemus illius cōtradicētē, quæ est, peccata sunt paria. Deinde sic, si hoc uerū esset, dicemus, omnia æqualiter pu

Reductio ad impossibile.

Argumētatio ab incōmodo.

punirentur. Hoc autē falsum esse docent leges, quæ grauius parricidam quàm adulterum puniunt. Igitur falsum est illud ex quo sequitur, nimirū peccata esse paria. Et si hoc falsum, illud uerum est, peccata non sunt paria. Crebrum hoc genus argumentandi Aristoteli, nec rarum Ciceroni, præsertim de Finibus & in Tuscul. quæstionibus: inueniuntur & apud Euclidem multæ ἀπαγωγαὶ eiusdem formæ. Quare puer huius reductionis non erit rudis. In syllogismis uerò reducēdis aut probādis (uidetur enim magis noua esse probatio, quàm necessariæ collectionis examen) sic adhibebitur. In secūda figura si syllogismus factus fuerit, sumetur conclusionis illius cōtradicens, loco minoris, syllogismi futuri cū maiore, ex quibus fiet syllogismus in prima figura, cuius conclusio erit contradicēs illi minori, quam aduersarius in priore syllogismo concesserat. Quare cogitur priori conclusioni assentire, aut id negare quod antè datum est atque concessum, ut hic:

CESARE.

Ce Nulli auari sunt fortes.
sa Omnes Germani sunt fortes.
re Ergo Germani nulli sunt auari.

Admittit ille cum quo agis propositionem & assumptionem, sed negat cclusionē. Credat igitur necesse est quosdā Germanos esse auaros. Hanc sumam minorem cum maiore superioris syllogismi, in hunc modum,

FERIO.

Fe Nulli auari sunt fortes,
ri Quidam Germani sunt auari: Ergo
o. Quidam Germani non sunt fortes.

Iam sic age. Atqui in priori syllogismo concessum fuit, omnes Germanos esse fortes: quare priori cōclusioni, uelis, nolis, cogeris assentire, aut duas contradicentes esse simul ueras, quod fieri non potest.

(PRIMAM syllabam dictionis primæ figuræ.) In aliis exemplaribus legebatur absque ullo sensu in hunc modum: Primam syllabā primæ syllabæ sumes eiusdem uocalis, &c. Restitui autem ex eo quod sequitur, ubi hoc ipsum docet in tertia figura. Estq; hic sensus: Si cognoscere uelis quis modus secundæ figuræ, ad quem modum primæ figuræ reducatur: accommodabis maiorem syllogismi reducendi alicui primæ syllab

Secundæ figuræ modi redu-

syllabæ dictionis in prima figura, deinde oppositum conclusionis secundæ syllabæ, ut maior propositio in Cesare quadrat cum Celarent, uel cum Ferio, sed oppositum conclusionis in Cæsare est particularis affirmatiua. Hæc autẽ secundæ syllabæ respondet in Ferio, non in Celarẽt: quare primus secundæ figuræ modus, in quartũ primæ reduci cognoscitur, Camestres ad Darii, Festino ad Celarẽt, Baroco ad Barbara. *cuntur ad modos primæ figuræ.*

In tertia figura scitur similiter, nisi quòd hic contradictoriũ conclusionis syllogismi reducẽdi, respõdere debet primę syllabæ dictionis in prima figura, & minor syllabæ secundæ, ut in Ferison cõclusionis cõtradictoriũ est uniuersalis affirmatiua: hæc quadrat primæ syllabæ in Barbara uel Darii, sed minor in Ferison tantũ accõmodatur secundæ syllabæ in Darii.

(NON ignoro duos quoque postremos primæ in analyticis.) Philosophia est uniuersalium, ob id modi particulares primæ figurę reducunt ad modos uniuersales secũdę figurę, & hinc rursum facta reductione ad modũ uniuersalẽ primæ figuræ: Darii em̃ ad Camestres, & Ferio ad Cesare p impossibile quidẽ si sumat contradictoriũ cõclusionis cũ maiore, è quib' infertur oppositũ minoris in secũda figura. Deinde redit ad primę figuræ secũdũ modũ cõuersione ac trãspositiõe ꝓpositionũ. Docet hoc Arist. in fi. primæ resolutiõis prioris.

(NECESSARIO.) Id est, necessitate consequentiæ, non consequentis. LATOM.

(EX tribus terminis.) Duo sunt ex quæstione, & abeunt in conclusionem. Tertius extra sumitur per aliquem locum inuentionis, & ducitur ex ipsa quæstione. Et hic est medius in syllogismo, qui cõnectit partes quæstionis in propositionibus, ut itidem coniungi possint in conclusione.

(QVARE patet semper conclus.) Conclusio semper deteriorem propositionum imitatur, ut si qua propositionum fuerit negatiua uel particularis, & conclusio talis erit.

DE PROPOSITIONE conditionali.



Onditionalis propositio est, quæ plurium categoricarum iunctione conficitur. Oratio ea triplex est: quæ Si, rationali particula, quæ Vel, disiunctiua, quæ copulatiua Et, aut par

tibus consimilibus iungitur. Omnis conditionalis duabus partibus constat, antecedēte & consequēte. Antecedēs est, quo posito, aliud sequatur necesse est. Consequens est, quod esse necesse est, si id, cuius consequens est, præcesserit, quod etiam annexum appellatur. Hæ igitur partes, in rationali quidem (quam & propriè conditionalem appellant) ordine quodam naturæ inter se referuntur, atque ideo sic nobis descriptæ sunt. In copulatiua & disiunctiua non natura, sed eius qui dicit iudicio disponuntur. Rationalis, siue conditionalis propriè, si negatiua est, uerâne an falsa sit, ex affirmatione, remota negatione (ut omnes conditionales) cognoscitur. Non si tu es homo, tu es asinus: hæc uera est, quoniam affirmatio falsa. Est autē negatiua hypothetica, quæcunq; negandi aduerbium conditionis particulæ statim præpositum habet. Affirmatiua uera est, si consequentis oppositum antecedenti repugnat: falsa uerò, si non repugnat: ut, si homo est, animal est: non enim potest homo esse, cùm animal non sit. Id præceptum iam dictum ad omnes, quas iuniores consequentias, Cicero simplices conclusiones, Græcè ἐνθυμήματα appellant, examinandas, rectène consequantur an non, plurimū ualet. Est tamen & alia ratio, qua uerâne sit an non rationalis, perspiciamus, & communis ei cum conclusione simplici, locorum uidelicet uis atq; natura, qua genus speciem sequitur, effectus causam, adiunctum id cui adiungitur, & cætera quæ aut se inuicem, aut una ex parte consequuntur: Quæ omnia rationis nota in conditionali adiecta, ipsarum rerum non solùm ui, uerumetiam ordine antecedunt, & consequuntur. Quare ut altius res hæc tota, pluraq; alia rectè intelligantur, omniū locorū, uis, ordo, differentia percipienda. Hæc de rationali. Copulatiua uera ea est, si utraque pars uera. Falsa uerò,

Antecedens.
Consequens.
Negatiua Hypothetica.
Affirmatiua.
Locorū natura in indicanda argumētatione.

si &

ſi & utraque pars eius falſa, & ſi altera falſa. Diſiuncti- *ua autem, cùm uarietas in eo conſiſtat, ut ſemper pars altera uera falſa'ue ſit, cùm ambæ non poſſunt ueræ ſimul eſſe uel falſæ, neceſſariò eas res ſemper continet, quarum alteram eſſe neceſſe eſt: ut eſſe, non eſſe: dies, nox: ægrotus, ſanus: præterea uiuere, mori: uigilare, dormire in animalibus, cæteraq; huiuſmodi, inter quæ tertium dari non poteſt: nam in alijs rebus conficta diſtinctio formã tantum diſiunctiuæ, non uim poßidet.* Quare *diſiunctiua uera, ſemper neceſſaria eſt, & uel contraria immediata continet, uel pugnantia: ſed non ſemper pugnantia ueram diſiunctiuam conſtituunt.* Hæc *enim falſa eſt,* Aut *homo eſt, aut animal non eſt: ſequitur enim ex ea, quicquid homo non eſt, id animal non eſſe, quod falſum eſt.* Falſum *autem ex uero ſequi non poteſt, quanuis uerum ex falſo poteſt: quare in contrarijs immediatis (appellamus autem contraria, oppoſita omnia præter relatiua) in his igitur diſiunctiua ſemper uera eſt, & in repugnantibus, ſi termini ſunt æquales.* In *terminis uerò inæqualibus uidetur quidem, ſed non eſt: quod ut facilius dijudices, quid ponit attende.* Ponit *enim diſiunctiua omnis uel primam partem ſolã, uel primæ partis oppoſitum per rationalem notam conſequenti coniunctum: uerbi cauſa, aut dies eſt, aut lux non eſt: hæc ponit uel eſſe diem, uel ſi dies non eſt, lucem quoque non eſſe: quod cùm falſum ſit, diſiunctiua quoque falſa eſt.* Illud *præterea tenendum eſt, è prædicatorijs ac ſimplicibus propoſitionibus, quarum uterq; terminus nomen continet, conditionalem fieri.* Et *omnem rationalem, quæ uerbo eſſe repetito conſtat, ſimplicem ac categoricam, ſi quis hinc uerbũ auferat quod illi acceßit, & ſi, rationalem particulam: ut,* Ho*mo eſt animal,* Si *homo eſt, animal eſt.* Sed *nec categori-*

Diſiunctiua.

Canon de diſiunctiuis iudicandis.

cas in conditionales transire, in quibus uerbum solum prædicatur, ut homo est, homo legit, homo disputat: nec conditionales ad categoricarum simplicitatem peruenire, si partim prædicata diuersa, aut si idem repetitum sit: ut, si currit, mouetur: si peperit, cum uiro cõcubuit: præterea, si homo uiuit, animal uiuit: nam si dies est, lux est, simplex fieri potest, & omnes eiusmodi similes. Ad hæc, omnis connexa propositio duabus constat categoricis, uel affirmatiuis uel negatiuis, uel altera affirmatiua, uel altera negatiua, qua ex re quatuor fiunt connexarum species, hoc pacto: Si dies est, ergo lux est: si nec illud, nec hoc: Si dies est, nox non est: si non illud, hoc igitur.

Quatuor modi conditionaliũ affirmatiuarum.

NEOMA. CONDITIONALIS propositio est.) De propositionibus & syllogismis hypotheticis, ut in præsentia hypothesim accipimus, Aristoteles in iis quidẽ libris, qui extant, nihil scriptum reliquit. Cicero in Topicis modos quosdam præter institutũ indicauit, quos post eum Boëtius homo in philosophia peracutus, in commentariis super Topica Ciceronis latius explicauit: cuius præceptionibus Trapezuntium adiutum esse satis apparebit illi, qui quartum & quintũ commentariorum librum cum hac parte contulerit. Accipitur autem ὑποθετικὸν, seu conditionale, pro quouis pronũtiato connexo, id est, ex duobus simplicibus composito: ut, neq; bonum est uoluptas, neque malum. Si prudentia est, uirtus est, & dies est, & lux est. Quod quidem satis quadrat, ubi cõiunctione, si, duæ simplices propositiones coniunctæ sunt. In aliis hoc nomen uidetur parum congruere, nisi in his cõditio aliqua dicatur latere: ueluti uir est aut mulier, intelligitur si homo est. Sanum aut ægrum est, sed non nisi animal fuerit. Copulatiua autem nõ uidetur conditionis egere, ut cœlum mouetur, & terra quiescit. Sin autem perfecta fuerit copulatiua, implicitam quoq; habebit conditionem: ut dies est, & lux est: nam sic intelligitur, si dies est, lux est.

(CONSEQVENS est quod necesse est.) Hæc uerba in omnibus exemplaribus, quæ quidem nobis uidere contigit, desiderabantur, sine quibus hunc locum mutilum esse, quis non

non uidet? Quòd autē à Trapezūtio ita ut nos restituimus scriptum sit, satis docet ea Boëtii finitio cōsequētis, quæ est lib.iiij. Commētariorum super Top. Cic. ex quo Trapezuntius ea ferè desumpsit, quæ docet de cōditionali propositione. Est autem sensus finitionis id uocari cōsequēs, qđ antecedente posito necessariò cōsequitur. Nec refert prioréne an posteriore loco ponatur: ut, dies non est, nisi sol supra terrā sit. Posterior pars huius antecedens est, prior consequēs. Vocatur etiā cōsequens Ciceroni annexū, quo loco sic ait: Cùm id quod annexum est, negaris, ut id quoq; cui fuerit annexū negandū sit, secūdus appellatur concludendi modus.

(HAE igitur partes in rationali quidem.) Has finitiones antecedentis & cōsequentis ostēdit rectius competere partibus propositionū, quæ proprio nomine conditionales dicuntur, hoc est, quarum partes connexæ sunt conditione Si. In his enim antecedens dicitur, non quidem quod priore loco ponatur, sed quod naturali ratione alterum sequatur: ut hominem animal, ratio, sermo, risus, & cætera: quorū respectu homo antecedens dicitur. Ita in hoc genere propositionum, partium ordo necessarius est. In reliquis autem copulatiuis & disiunctiuis, id antecedēs quod priore loco, hoc consequens, quod posteriore positum est, dicitur.

(RATIONALIS siue conditionalis propriè.) Conditionales affirmatiuæ sunt, quādo cōiunctioni quā principalem copulā uocāt, ut sunt, aut, &, &c. eiusdē generis, nō adhæret à fronte negatio, alioqui nihil prohibet negationē unā, aut duas etiā propositioni adiunctas esse, ut tamē affirmatiua dicatur: ueluti si anima non est, homo non est: si sanū non est, ægrū est: aut homo est, aut rationē nō habet. Negatiua uerò quādo cōiūctioni pręponitͬ negatio, ut, nō aut bonū aut malū est uoluptas: nō si homo est, doctus est: nō & beatus est & miser. quę uerę ne an falsæ sint detracta negatione uidebitͬ.

(AFFIRMATIVA uera est.) Ex hoc canone manifestum est, non sumi ueritatem in connexis propositiouibus, è partium ueritate aut falsitate. Hęc enim uera est, si mundus non est creatus, fuit ab æterno: partes autem falsæ sunt. *Cōditionaliū ueritas quomodo spectanda.*

(LOCORVM uidelicet uis atque natura.) Ea cuiusmodi sit, animaduertitur ex maximis illis, quas Boëtius in singulis locis dialecticis tradidit. Hi sunt καθολικοὶ κανόνες, quibus

f 4 doce

docetur quam uim argumenta ducta è locis probādi aut im probandi habeant: ut in loco finitionis, Cuicunq; definitio tribuitur, eidem & definitum:& cui definitū negatur, eidem & definitio. Ex cuius loci seu maximè ui, hæ cōditionales ue rę sunt, Si homo est, animal rationale est: aut si animal rationale est, homo est, & cætera. sed de his copiosius in enthymemate dicemus.

Copulatiuarum ueritas.

(COPVLATIVA uera est, si utraque pars uera est.) Copulatiuę propositionis ueritatem docet Gellius lib. xvj. Noctium Attic. Quod illi, inquit, συμπεπλεγμένον, nos uel coniunctum uel copulatū dicimus, quod est eiusmodi: P. Scipio Pauli filius, & bis consul fuit, & triumphauit, & censura functus est, & collega in censura L. Mumii. In omni autem coniuncto, si unum est mēdacium, etiam si cætera uera sunt, totum mendacium (inquit Gellius) esse dicitur.

Disiunctiuarum ueritas.

(NAM in aliis rebus cōficta disiunctio.) Veluti, Aut curris, aut ambulas, aut bibis, aut cātas: quod autore Gellio παραδιεζευγμένον dicitur à Græcis. Possunt tamen huiuscemodi pronuntiata uera esse ex quadam conditione, non quidem naturæ, sed casus seu suppositionis: propter antegressam quandā conditionē dicentis, ueluti hoc, Aut tu me ambitu uicisti: aut mihi dignitate prælatus es. quod utrunq; falsum esse potest: sed si alteruter magistratus creatus sit, non plus uno uerū est. Itē quod præcipitur plures partes in disiunctiuis ueras esse nō posse, intelligēdum est in his, quæ duabus tantum constant partibus. Enumerationes enim rhetoricę, quoniam pluribus constant, sub hanc legem non cadunt.

Pugnantia.

(SED non semper pugnātia.) Pugnātia sunt, quæ simul ei dē competere nō possunt, ut hominem quempiā esse, & nō esse animal: aut eūdem hominem esse, & auem, amicum esse, & nocere: eōdem tempore Romæ esse & Interamnæ.

(QVANVIS uerum ex falso potest.) Docet hoc Aristoteles libro undecimo προτέρων ἀναλυτικῶν.

(ET in repugnātibus si termini.) Dicuntur repugnantia in terminis æqualibus, cùm ex duobus, quæ inter se mutuò consequuntur, alterum sumitur cum negatione, aut cum eo quod habet negandi uim: ut homo & intellectuale, nox & umbra terræ, uirtus & honestum conuertuntur: horum si alterum sumatur cum negatione, aut cum eo quod negandi uim

nim possidet,repugnantia erunt ex terminis æqualibus. Ex his propositio disiunctiua semper est uera ac necessaria: ut, homo est,aut intellectu caret.nox est,aut umbra terræ non est.uirtus est,aut honestum non est. Repugnantes termini inæquales sunt,dum ille qui altero latior est aut angustior, cum negatione sumitur: ut hominem esse nec animal,iustitiam absq; uirtute:nec solum tales,sed quicunque superiore membro non continentur.Huiusmodi uerò & si pugnantia etiam sunt,non tamen disiunctiuam ueram efficiunt: ut homo est,aut animal nō est: dies est,aut lux nō est:animal est, aut uita caret.falsæ sunt disiunctiuæ.

(PONIT disiunctiua omnis uel primam partem solam.) Regula est,qua licebit fictas disiunctiuas,& quæ formā tantum imitātur,à ueris secernere.Legebatur autem in exemplaribus ueteribus coniunctam,fœminino genere, id quod sensum huius periodi omnino turbabat. Quare sic intelliges,eam solū esse uerā disiūctiuam, cui primæ partis oppositum per coniunctionem,si,aptè consequenti coniungitur. Quo examine hanc falsam inuenies,aut dies est,aut lux non est.Sume hic primę partis oppositum,dies non est,cōiunge consequenti sic,si dies non est, lux non est:iam hanc falsam inuenis.aliunde enim lumen esse potest.Sic illud,aut homo est,aut animal non est,examina iuxta præscriptum canonē, si homo non est,animal non est,falsum etiam hoc est,quare & illud,aut homo est,aut animal non est.

(ILLVD non est,in quo uerba omnia resoluuntur.)Hāc clausulam totam superesse existimo, quam si omittas, clarū erit quod præcipitur. Videtur autem fuisse fragmentum cuiusdam interpretationis, primū in margine appositum,deinde à librario per inscitiam Trapezūtii uerbis interpositū.

(SI partim prędicata diuersa uerba sunt,aut idem repetitum sit:ut,si currit,mouetur:si peperit,cum uiro concubuit.) Prædicata in conditionalibus sunt duo,unum antecedentis, alterū cōsequentis:ut, si homo currit, mouetur.antecedentis prædicatum est currit, consequentis mouetur: Subiecta nanque intelliguntur in uerbis finitis,in quibus nominatiui intelliguntur.Hæc autem diuersa sunt,igitur ea conditionalis, prædicatoria non fit, nisi alteruttum abiiciatur.Abiecimus etiam ex eadem periodo uerba hæc,aut diuersa,quæ ui

f 5 tiose

tiose duplicabantur, ut in aliis locis nonnullis etiã fecimus. Quod si quis omnis facti mei rationem requirat, cõferat ue tera exemplaria quæ inemendata satis circunferuntur, cum nostro labore.

Repugnantia. (AD hæc omnis connexa propositio duabus constat categoricis.) Indicat Trapezuntius quatuor esse formas conditionalium, quæ omnes affirmatiuæ dicuntur. Nam ea negatiua tantum est, quæ coniũctioni, si, præpositam negationem habet. Prima forma, ubi ambæ partes sumuntur absque negatione, ut, Si dies est, lux est. Secũda huic cõtraria, Si lux non est, dies nõ est. Tertia ex priore affirmatiua, reliqua negatiua: ut, si dies est, nox non est. Quarta quæ huic cõtraria: ut, si nox non est, dies est.

LATOM. ORDINE quodam naturę.) Ordine naturæ, quia natura ita cohærent, ut ordinem peruertere non liceat. In cæteris autem licet.

(DISIVNCTIVAE autem cum.) Disiunctiua uera est, cuius altera pars tantum uera est. falsa autem, cuius utraque pars uera uel falsa est. Ex quo intelligitur, disiunctiuam ueram, si certæ ueritatis esse debeat, semper necessariò inter contraria immediata esse, alioqui forma magis erit disiunctiua, quàm quòd uim eius obtinet.

(SI termini sunt æquales.) Termini æquales sunt qui inter se conuertuntur, ut homo & rationale, qui repugnantes erunt si alteri negationem addas, uel oppositũ eius sumas, ut homo & irrationale, loqui & non loqui.

(PONIT enim.) Id est, sumit.

(CONDITIONALEM fieri.) Si addatur conditionalis particula, & uerbum repetatur.

Verùm quoniam propositiones (quas repugnãtes diximus) tertium conditionalium modum condunt: de his nunc disseremus, si prius quæ repugnantia dicantur, exposuerimus. Repugnantia dicuntur quæ ita inter se conferuntur, ut quod unũ contrariorũ cõsequitur, reliquo cõtrario cõparatur: uel cum unius partis oppositũ, alteram partẽ natura consequitur. Nam cũ amicus & inimicus cõtraria sunt, quoniã nocendi studiũ inimicitias consequitur: si quis ami

amicum studere ut noceat dicit, repugnantia dicit. Repugnans itaque propositio est, quae repugnantibus terminis aut partibus connectitur. Terminis categorica repugnat, ut si dicas inimicum prodesse inimico: partibus, conditionalis: quae si duabus affirmatiuis coniungitur, adiecta, si ex duabus negatiuis, dempta negatione posterioris partis repugnans est. Sin ex altera parte affirmatiua, altera negatiua, conditionalis composita est, siue negationem demamus, siue alteri quoque parti negationem apponamus, repugnantia efficiuntur: hoc pacto, si dies est, lux non est: haec repugnans propositio est, quoniam pugnantibus constat partibus: nam lucem non esse noctem esse consequitur: nox autem diei opposita est. Quare si pugnantia sunt, quoties quod contrariorum alterum sequitur, alteri iungitur, diem esse & lucem non esse, pugnantia sunt. Est autem repugnãs propositio, quae ex his constituta est. Haec ergo, si dies est, lux non est, quae eas partes continet, repugnans est. Item si animal non est, homo non est: ex hac repugnans fit, si posteriori parti negatio dematur, atque ita dicatur: si animal non est, homo est. Huius propositionis partes sunt pugnantes, quoniam oppositum unius alteri natura iungitur: est enim animal, si homo est, si dies est, nox non est: quòd si non est dies, nox est. In his (ut diximus) siue alteri quoque parti negationem adijcias, siue eam quae inest tollas, pugnantes facies: utraque enim pugnans est, si dies est, nox est: &, dies non est: &, nox nõ est. Nam & noctem esse oppositum eius sequitur, quod est diem esse. Sequitur enim, si dies non est, noctem esse: & noctem non esse, si dies est, sequitur: diem autem esse, ei opponitur quod est, diem non esse: pugnant igitur partes, ergo repugnantes sunt & propositiones. Sed de connexis propositionibus hactenus. Nunc de syllogismo

Categorica repugnans. Conditionalis repugnans.

Syllogismi cōditionales. *modicamus. Syllogismi quos conditionales Latinè uel propositiones appellare possumus, tribus constant partibus, propositione, assumptione, cōclusione.* Horum *septem sunt modi, quorum tres è rationali, quatuor è disiunctiua & copulatiua oriuntur.* Primus modus. *Primus modus est, cum primùm assumitur, ut annexum concludatur, hoc modo:*

Si homo est, animal est,
Atqui homo est:
Animal igitur est. Item:
Si animal non est, homo non est,
Non est autem animal:
Non est igitur homo.

Secundus modus. *Secundus est, cum annexum in assumptione tollitur, ut id quoque quod antecedit tollatur, hoc pacto:*

Si homo est, animal est,
Atqui animal non est:
Nec homo igitur. Item:
Homo non est, si animal non est,
Atqui homo est,
Igitur animal est. Item:
Si dies est, nox non est,
Sed est hoc:
Non illud igitur. Item:
Si sanus non est, ægrotat,
Atqui non ægrotat:
Sanus igitur est.

Tertius modus. *Tertius est modus, cùm propositionis negatiuæ conditionalis, quæ repugnantibus aut contrarijs constat partibus, antecedens affirmatur, ut annexū tollatur, hoc modo:*

Non si homo est, animal non est,
Atqui homo est,
Animal igitur est. Item:
Non si repudiata est, uxor est,
Sed repudiata est:
Vxor igitur non est.

Significant autem huiusmodi negatiuæ propositiones, impos

impoßibile omnino esse, si antecedens est, quod consequens sit, unde & conclusionem necessariò semper inferri demonstrant. Diximus *autem è contrarijs uel repugnantibus cõstare partibus huius tertij modi propositiones, quoniam quæ aliter se habent, syllogismum nullum constituunt, neque impoßibile significant, posito antecedente non esse consequens.* Quare *syllogismum inde nullum facimus, sed qui contrà fieri posset, eum destruimus, ut pro* Milone Cicero. *Nisi uerò aut ille dies, in quo* Tyberius Gracchus *est cæsus, aut ille in quo* Caius, *aut in quo arma* Saturnini, *non si è republica oppressa sunt, rempublicam tamen non uulnerauerunt.* Nam *cùm possent aduersarij* Milonis *dicere, si è republica fuit cædes* Clodij, *rempublicam non uulnerauit: uulnerauit autem rempublicam, quoniam aduersus eam facta est, ut senatus decreuit, non fuit igitur è republica, ut* Milonis *defensores innuere uidentur.* Cicero, *non si è republica fuit cædes* Clodij, *rempublicam tamen non uulnerauit, opponit: cuius sensus est, ut diximus, antecedente dato, non sequi esse uel non esse quod annexum est: idq; probat tribus exemplis, quorum primum (ut in formam suam separatim redigatur) id est, non si è republica* Tyberius Gracchus *oppressus est, ille dies in quo cæsus est, rempublicam non uulnerauit.* Alterum, *non si* Caius *è republica oppressus est, ille dies in quo cæsus est, rempublicam non uulnerauit.* Tertium, *non si arma* Saturnini *in illo die quo cæsus est, è republica oppressa sunt, rempublicam tamen non uulnerauerunt: quòd si hæc ita se habent, potest &* Publius Clodius *è republica cæsus esse, & rempublicam tamen uulnerasse, cum nulla sit uis in libera ciuitate inter ciues suscepta non contra rempublicam.* Hæc *diximus latius, ut ille locus, qui subobscurior est (cum multa in unum contorta oratione confundat) rectè intelligatur, uel*

Cicero pro Milone.

ut ex hoc etiã intelligas, quàm rudes, quamq́; ignorantes illi sint, qui sine artificio præclaros oratores scripsisse cõtendunt: quare si quis artificij expertes eos intelligere uelit, is ad nucleũ cùm nullo pacto peruenire poßit, quasi insanus contemnendus esse uideatur. Duplex ergo negatiuæ huiusce modi conditionalis sensus est: *Vnus, ex quo tertium cõditionalem syllogismorum modum cõstituimus: alter, ex quo nullum facimus ipsius syllogismũ, sed aut factum diluimus, aut ne fiat prouidemus.* Prioris exemplum, *non si dies est, lux non est: id est, non sequitur, si dies est, quin lux sit.* Posterioris, *non si dies non est, lux non est: id est, non sequitur non esse lucem, si dies non est.* Item, *non si homo est, albus est: non enim sequitur album esse, si homo est.* Ita primus *sensus in ijs, quæ ex contrarijs uel repugnantibus constat, alter in reliquis habetur.*

Repugnantis negatiua duplex usus.

NEOM. REPVGNANTIA dicuntur, quę ita inter se conferũtur.) Repugnantia sunt, teste Cicerone, quæ cohærere non possunt, ut si quis dicat hominẽ nõ esse animal, auarum esse pium, sapientes infelices. In his prædicati oppositũ subiectó uerè iungitur, ut sapiẽs est felix, auarus est impius, homo est animal. Quæ propositiones si prædicatoriæ sunt, repugnant terminis, id est, subiecto & prædicato: sin cõditionales, partibus, id est, antecedente & consequente.

(SYLLOGISMI quos cõditionales Latinè.) Syllogismos cõditionales asserit propositiones etiam dici, fortè ob hanc rationẽ, ꝙ propositio syllogismi (teste Martiano) plenũ argumentũ, & plenũ id de quo quæstio est, cõtinet: siue ꝙ tam assumptio quã conclusio (nihil enim extrinsecus sumitur) in propositione cõtineantur, & nõ rarò sola propositio pro integro syllogismo sumitur. Quanquam etiã hic locus deprauatus uideri possit, & sic legendus: Syllogismi hypothetici, quos cõditiõales appellare possumus, tribus cõstãt partib⁹.

Primus modus. (PRIMVS modus est, cùm primum assumitur.) Appellant inquit Cicero, dialectici eam conclusionem argumenti, in qua

qua cum primum sumpseris, consequitur id quod annexum est, primum conclusionis modū. Exempla sunt: Si dies est, lux est. Est autem dies: antecedens hic assumitur: sequitur, igitur lux est. Item, si non est lux, dies quoque non est, colligere eodem modo, Nō est autem lux, igitur nec dies. Quòd si secundum assumpseris, aut antecedens sustuleris, non fiet syllogismus, nisi in terminis ęqualibus, id est, qui se mutuò cōsequuntur, ut, si nox est, umbra terræ est: ubi si secundam sumpseris, primum sequitur, aut si hoc sustuleris, secundum quoque tolletur. In aliis uerò non eodem pacto se habet.

(HOMO non est, si animal nō est.) Ponitur hic consequēs priore loco, antecedens uerò posteriore: quod infrà fieri posse admonuimus. Significant autem uerba tollere & ponere, nō idem quod negare & asserere. Est enim tollere, oppositū antecedentis uel consequentis adhibere, id est, si negata erat pars aliqua in propositione, negationē tollere: sin absq; negatione, illi negationem accommodare, ut si lux nō est, dies non est: tollitur consequens, sic: Est autem dies: & antecedēs quoque, igitur est lux. Ponere uerò, est immutatum relinquere. Vocatur hic modus Ciceroni à consequentibus, quemadmodum superior ab antecedentibus. *Tollere.* *Ponere.*

(TERTIVS modus est, cum proposition.) A repugnantibus hic dicitur, quòd propositionem pugnantibus partibus constare oportet, ut si homo est, animal non est, cui ut uera efficiatur, negatio additur, qua significatur omnino fieri nō posse ut consequens sit, si antecedens est: ueluti, nō si homo est, animal non est: hoc est, impossibile est non esse animal, si sit homo. Fit uerò modi huius ratiocinatio, quando antecedēs affirmatur, id est, cū negatio quę coniunctioni pręposita est, abiicitur, deinde tollatur annexum, ut, non si lux non est, dies est: sic assumes. Lux autem non est: consequens tollendum est sic, dies igitur non est.

(DIXIMVS autem è contrariis uel repugnantibus.) Si tales sunt partes quæ nec pugnant, nec necessariò cohærēt, ut hominem esse & iustum, & doctum quempiam esse, ac eundem bonum: in huiusmodi, conditionalis negatiua tantùm significat non esse necessarium, id est, posse esse aut non esse consequens, si sit antecedens: ut, nō si ad illum ueniebat hæres, idcirco ab eo occisus est: Nō si tu me dignitate superasti

ego

ego te ambitu uici: Non si homo est, iustus est. Harum propositionum usus est, quando ostendere uolumus aduersarii argumentũ esse ad rem probandam parum efficax, nec posse sequi ex eo id quod intendit, ut in coniecturalibus. In sylua hominẽ sepeliuisse uisus es, occidisti igitur: sic negabit, Non quicunque alterum in syluis sepelit, eundem occidit. potest enim id efficere pietas. Talibus autẽ propositiõibus in hoc modo nihil colligimus, sed tantum obsistimus aduersario.

(VT pro Milone Cicero.) Vt locus hic rectè intelligatur, altius quædam repetẽda sunt. Cicero in oratione ea longè pulcherrima, qua Miloni (quòd Clodium insidiantem in uia Appia occidisset) patrocinatus est, statim post exordium, aut (ut Fabio placet) in ipso exordio tres aduersariorum obiectiones, quibus tota defensio inualida reddebatur, confutauit. Quarum præcipua fuit (reliquas enim ex ipso Cicerone cognosce) ea præiudicatio, qua Senatus cædẽ in uia Appia factam cõtra rempublicam esse decreuit. Quo senatuscõsulto ipsum quoque occisorem Milonem præiudicio damnatum fuisse, eius aduersarii dicebant. Refutat id Cicero uera interpretatione sententiæ, qua docet senatum iudicasse per cædem illam uulneratam quidem esse rempublicam, non tamẽ per eum qui fecit: ostendens exemplis & iudicatis, crimen quidem aliquando improbari, ut tamen autor eius absoluatur, qui uoluntatem peccandi remouit. Falsam igitur esse hanc conditionalem orator ostendit. Si è republica fuisset cædes Clodii, id est, si iure cæsus esset Clodius, respublica non esset uulnerata. Ex qua propositione si colligas in secundo modo (quemadmodum Clodiani faciebant) nõ ualebit syllogismus: ut,

Si Clodius iure cæsus esset, ea cædes non
uulnerasset Rempub.
Vulnerauit autem rempublicam:
Igitur non est iure occisus.

Simile enim est ac si sic colligas:

Si doctus est, improbus non est:
Est autem improbus:
Igitur non est doctus.

Cæterùm Ciceronis uerba sic habent: Cur igitur incendium curiæ, oppugnationem ædium M. Lepidi, cædem hanc ipsam

ipsam cõtra rempub. Senatus factã esse decreuit? Quia nulla uis unquam est in libera ciuitate suscepta inter ciues, non cõtra rempublicam. Non enim ulla est defensio cõtra uim unquam optanda, sed nonnunquã est necessaria. Nisi uerò aut ille dies, in quo Tyberius Gracchus est cæsus, aut ille, quo Caius, aut quo arma Saturnini oppressa sunt, etiã si è repub. rempub. tamen non uulnerauerunt. Legit autem Trapezuntius pro dictione etiamsi, nõ si: quod quanquam huic præceptioni magis cõgruat, habet tamen eundẽ sensum ea lectio, quã nos modò citauimus. Nã negatio illa, qua tres cõditionales negantur apud Ciceronẽ, latet in particula nisi, quam hoc loco accipies pro eo quod est, nõ si. Erit itaq; hic sensus, si è republica fuerunt cæsi Tyberius & frater eius, & Saturni ni arma oppressa, rempub. non uulnerauerunt: ita quoque fieri potuit, ut Pub. Clodius iure cæsus sit à Milone, & tamẽ respublica per cædem uulnerata sit: Omnis enim uis est contra rempublicam, quam qui à ciuibus, aut liberis, aut suo capite arcet, iure id facit, & quidem permissu legis.

(NISI uerò aut ille dies, in quo Tyberius Gracchus.) De morte horum fratrum uide Plutarchum in uita Gracchorum, & de Saturnino apud eundẽ in uita Marii, & Appianum libro primo de bellis ciuilibus.

(NON si è Republica fuit cædes Clodii.) Legebatur hoc absq; negatione, cui repugnat quod dicitur, opponit: hoc est, obsistit aduersario ea propositione negatiua: Non si è republica cæsus est Clodius, rempublicam non uulnerauit. Cuius propositionis sensus est, non esse necessarium, si sit antecedens, esse consequens. Cæterùm orator eam orationẽ nõ expressit, sed in tribus illis exemplis, è quibus sequitur ui similitudinis, intellexit.

(ADVERSARII Milonis.) Fuerunt hi, T. Munatius, Q. Pompeius, C. Sallustius. Patroni uerò, Cicero, Hortẽsius, Marcus Cato, & nonnulli alii, autor Asconius.

(POTEST & P. Clodius è republica cæsus esse, & rempublicã tamẽ uulnerasse.) In ueteribus exẽplaribus legebaẽ negatio ante uerbum uulnerasse, ex quo totius hic locus obscurus, & præceptis repugnãs reddebaẽ, nos abiiciemus eã.

(TERTIVM conditionalium.) Quoniam antecedentium sunt, & consequentium, & repugnantium. LATOM.

(REPVGNANTIA dicuntur.) Repugnantia sunt, quorum oppositum unius alterum consequitur, & consequẽs alterius alteri opponitur.

(PARTIBVS.) Id est, propositionibus simplicibus siue categoricis.

(ADIECTA.) Vt si homo est, animal est. adde negationem, & dic, si homo est, animal non est.

(DEMPTA negatione.) Vt, si animal non est, homo non est. deme negationem, & dic, si animal non est, homo est.

(SIVE negationẽ demamus.) Vt, si dies est, nox non est. deme negationẽ, & dic, si dies est, nox est: uel adde alteri parti, si dies non est, nox non est, utraq; repugnans facta est.

(TOLLITVR.) Tollere, est in oppositum mutare: Ponere, sumptum resumere.

(DIXIMVS autem è contrariis.) Multis exemplis hunc locum declarat.

(NISI uerò aut ille dies.) Dicit Gracchum è republica occisum, & tamen rempub. uulnerasse, quoniam è Republica occidi, & rempublicam uulnerare, non repugnant, cùm oppositum unius non sequatur necessariò ad alterum. Nõ enim quicunque è Republica occiditur, Rempub. nõ uulnerat, sed occiduntur multi è Republica, qui eam uulnerant. Potest igitur in tali propositione antecedens esse uerum sine consequente, quod est contra legem conditionalium.

(DVPLEX ergo negatiuæ.) Duplex est negatiua conditionalis, legitima, quæ ex uocibus cõtrariis cõstat: & in speciem formata, cuius partes non repugnant. Hac posteriori utimur in iudicãdo uitioso syllogismo hypothetico, hoc est, in propositione eius refellenda, ut uult Trapezuntius.

Enthymemata. *VErùm hoc tertio ratiocinationis modo breuißimè instruuntur (Cicerone teste) quæ ad Herennium ipse contraria appellat, Græci ἐνθυμήματα per excellentiam dicunt: nam cùm omnis sententia ἐνθύμημα Græcè dici posßit, hæc maximè quæ sunt acutißima, nomen commune tanquam propriũ possederunt: qua ratione Aristoteles etiam motus omnem imperfectam ratiocinationem ἐνθύμημα uocat: est enim tãtò acutior absoluto syllogismo simplex con-*

clu

clusio, quantò breuior. Verùm enthymemata rhetorum quæ acutißima sunt, nescio qua ratione impulsus Boëtius tertij modi solam esse contendit propositionem, in commentarijs, quos super Ciceronis Topica edidit, maximè cùm Cicero ex contrarijs hæc conclusa dicat, & ipsa ratio nihil acutius dici ostendat, quòd in se uim rationis contineat. Quare circuitu (quē Græcè περίοδον appellamus) uti, proprium oratoris maximè, multi dicunt. Quoniam is orationis uno contextu breui ac coacto, propositionis, rationis, ac conclusionis uim absolutior quidem ipsis uerbis continens, imperfectior colligit. Vt ergo circuitus magnam idcirco uim habet, quoniam argumentationē totam breuius & occultius, & uno spiritu absoluit: sic enthymema (quo rhetores maximè laudamus, si ea facilè ac copiosè ubi oportet, utantur ratione) concludi credendum, quod & Cicero innuit preßius, ut pleraq; solet, cùm dicat ex contrarijs concludi. Quare non erit syllogismi propositio, ut Boëtius sentit, sed cōclusio simul ac assumptio enthymema: quod ut apertius pateat, exemplo latius enodetur. Quos cùm plures essent, uicimus, eos pauciores timemus? Pugnātia hæc sunt utriusq; ratione: & quoniā posterior pars præcedentis oppositū consequitur: & quoniam præcedenti posterioris oppositū annectitur: quāuis & uerba ipsa, plures, ac pauci, uincere, ac timere, cōtraria sunt. Modum uerò conclusionis hunc, tam in cōtrarijs quàm in repugnantibus fieri diximus. Quare & enthymema quod assumptione & conclusione constat, huiusmodi est: Quos cum plures essent, uicimus, eos pauciores timemus? deinde aßumamus, sed eos cùm plures essent, uicimus, eos ergo pauciores non timemus. Huius ratiocinationis assumptio in enthymemate primo, ut debet, posita est. Conclusio

uerò cum negatiuè inferri debuisset, absq; negatione quidē, sed cum interrogatione prolata est: tenet enim plerunque interrogatio negationis uim. Ita enthymema huiusmodi ad simplicem conclusionem redire uidetur, quam (ut diximus) Aristoteles enthymema uoluit appellari. Differt tamen ab ea nō solùm acuitate ac uiribus, quas maiores possidet hic modus, sed etiam quoniam uis illationis apertissima ibi, occultior hic, ac ideo animum facilius elabitur ac labefactat, quod omnium proprium est, in quibus artificium magis latet abditum. Hic autem ita recōditum est, ut non rudes solùm, sed etiam qui rhetoricē profitentur ac docent, omnino fugiat, quos tamē rectius quis fœtores quàm rhetores appellauerit: qui & si non magis grati, quàm rudes sunt, tamen quoniam cupimus hæc omnibus esse notissima, alia congeramus exempla: Qui se amicis inexorabilem præbet, is erit placabilis inimicis? Hæc oratio contrarijs partibus iuncta est, ex hac in tertio modo ratiocinatio fiet, hoc pacto, Non qui se amicis inexorabilem præbet, is erit placabilis inimicis. Sed is se amicis exorabilem præbet. Non is igitur erit placabilis inimicis. Item hoc metuere, alterum in metu non ponere. Hoc enim ita breuius in Topicis posuit Cicero, nos latius atq; apertius absoluamus. Paucos interficere ciues metuis, totam Rempublicam interire non metuis. Hic similiter contraria, metuere, & non metuere. Omnia opposita præter relatiua sæpius contraria solent nominari. Fiat igitur ratiocinatio in tertio, sic: Non & paucos interire ciues metuis, & totam Rempublicam interire non metuis. Sed paucos interire ciues metuis, Totam ergo rempub. interire magis metuis. Magis, adiecimus, ut ostenderemus crescere nonnunquam enthymema, & maioris ac minoris uim acutius sub

subostendere. Non enim quemadmodum dialectici distinctius ratiocinationis partibus positis atq; simplicius (ut in hoc opusculo docendi causa fecimus) sic oratores separatis atq; integris partibus argumentationem concludunt. Nam id ut docendi necessarium, sic ab eo qui dicit, alienissimum: sed confusis nonnunquam partibus, plerunque alijs neglectis, alijs mutatis, alijs mancis, pressius quod uolunt & acrius complectuntur. Quod & princeps ille nō solùm intelligendi, sed etiam dicendi Aristoteles *factitat. Verùm qui docet, nisi rem omnem ordine suo in lucem efferat, uel quoniam ignorat, uel quoniam inuidia laborat, omnia sic confundit, ut auditores dediscant potius, quàm discāt: quod ita esse hoc signo maximè perspicies, quòd cùm multos annos docuerint, neminem tamen doctum effecerint. Verū id ignorātia ita fieri magis quàm inuidia, id signi est, quòd nihil unquam huiusmodi homines saltem gloria sempiterni nominis scripserunt dignum. Nihil enim magis doctrinam hominis quanta sit, monstrat, quàm multa rectè scribere. Quemadmodum nihil magis ignorantem hominem prodit, quàm nihil ex se rectè dicere, ad aliena semper confugere, ac cùm ad sua redire cogitur, labi ac concidere. Non enim memoriam (ut pueri) ostentare, sed docere debemus. Quare nos, qui hæc & docendo & scribendo in lucem proferre conamur, faciemus, qui etsi fraude ignorantiæ (qua multa perpeßi sumus) uexati, tamen hæc studia desiderantibus, non grauabimur quale sit quod dicimus, è Cicerone ostendere, ut ad similem diligentiam exemplo ac doctrina cæteros impellamus.* Aristoteles.

VERVM hoc tertio ratiocinationis modo.) Ciceronis uerba in Topicis sic habent: Ex hoc (de tertio modo conclusionis loquens) sunt illa rhetorum ex contrariis conclusa, quæ ipsi enthymemata appellant: non quòd nō omnis NEOMA.

sententia enthymema dicatur, sed ut Homerus propter excellentiam commune poëtarum nomē efficit apud Græcos suum: sic cùm omnis sententia enthymema dicatur, quia uidetur ea, quæ ex contrariis conficitur acutissima, sola propriè commune possidet.

(QVAE ad Herennium ipse contraria appellat.) Locus est apud Ciceronem (si modò ipse horum librorum autor est) libro quarto, ubi definit hoc modo: Contrarium est quod ex rebus diuersis duabus altera breuiter & facilè cōfirmat, hoc pacto: Nam qui suis rationibus inimicus fuerit semper, eum quomodo alienis rebus amicum fore speres? Et alibi: Nam quod scis prodest, nihil igitur quod nescis obest. In his si dicendi uis animaduertatur, est syllogismi cōditionalis assumptio cum cōclusione in tertio modo collecta omissa propositione. Hæc enim tertii modi propositio est. Nō si quod scis prodest, quod nescis non obest. Ex eo assumatur affirmatiuè in tertio modo antecedēs hoc pacto: Id autem quod scis prodest: conclusio, Nihil igitur quod nescis obest. Item, Non si uitam Clodii nolitis iudices, mortem ulcisci debetis. Vitam autem nolitis, assumptio est: Conclusio uerò hæc, Mortis igitur non eritis ultores. Quam argumentationem Cicero elocutionis uenustate ac dicēdi fulgore ita obruit, ut qui non paulò altius inspiciat, nudam expositionem putabit. Sic enim ait: Eius igitur mortis sederis ultores iudices, cuius uitam si putetis per uos restitui posse, nolitis.

(NESCIO qua ratione impulsus Boëtius tertii modi solam esse contendit propositionem.) In huiusmodi enthymematis Boëtius elocutionem solam attendit, ac ob id non ratiocinationes, sed propositiones tantū asserit esse tertii modi, eo quidem intelligendi modo nō malè. Sic enim quinto libro Commentariorū in Topic. Ciceronis scribit: Sed quia non totus (ut suprà posuimus) in his argumētationibus ponitur syllogismus, sed propositio, cuius assumptio & conclusio notæ sunt, & idcirco dicitur enthymema, quasi breuis animi conceptio. Hæc ille.

(QVARE circuitu quem Græcè περίοδον appellamus.) Cicero in Oratore περίοδον transfert ambitum, circuitum, compræhensionem. Item continuationem & circunscriptionem. Fabius libro nono, circunductum, & conclusionem, &

clau

clausulam appellat. Habet autem περίοδος duplicem intellectum: unum, quo (Donato teste) significamus omnem orationis cōtextum, in quo integer est sensus, cuius partes sunt κῶλα & κόμματα, ut, O M. Druse tu dicere solebas, sacram esse Remp. quicūque eam uiolassent, ab omnibus esse ei pœnas persolutas. Alterum uerò, quo certa cuiusdā elocutionis forma intelligitur, quā Aristoteles tertio Rhetoricorum libro sic finit: λέγω δὲ περίοδον λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ τελευτὴν αὐτὴν καθ' αὑτὴν καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον. id est, circuitum uoco compositionē, qua ipsa per ipsam principiū habet & finem, magnitudinemq́; mediocrem: hoc est, circuitus constat partibus mutuo à se dependentibus, quarum nulla extra contextum sententiam absoluit: quale illud est pro Milone: Postremò nisi eum dii immortales in eam mentem impulissent, ut homo effœminatus fortissimum uirum conaretur occidere, hodie nullam Rempub. haberetis. Hoc tribus membris ita connexum est, ut nullum per se sententiam absoluat. Est autem huic contraria quæ dicitur absolutio, cùm unumquodq; orationis membrum absolutam sententiam continet, ut illud Ciceronis, pro lege Manilia: Dicendum est de Cn. Pompeii singulari eximiaq; uirtute: huius autem orationis difficilius est exitum, quàm principium inuenire: Ita mihi non tam copia, quàm modus in dicendo quærendus est. Sed quod ad hunc locum attinet, ait Trapezuntius rhetorum enthymemata ita efferri, ut partes non ita distinctè animaduertātur, quomodo in argumentationibus dialecticis, sed ita plerunque latere, ut uideatur oratio expositioni, quàm argumentationi similior. Probat in similitudine sumpta à cōsuetudine oratorum, apud quos laudabātur ambitus, quòd in his continui spiritus pronuntiatio usq; ad finem requiratur: ita quoque in huiusmodi enthymematis cōclusio & assumptio sunt, etiam si lateant elocutionis artificio. *Absolutio.*

(PVGNANTIA hæc sunt utriusque ratione.) Superius uide repugnantia dupliciter definita. Hæc autem utraq; ratione pugnantia sunt, & quod posterior pars, Timere pauciores, antecedentis oppositum, quod est uincere plures, sequatur & posterioris oppositum: scilicet, pauciores nō timere, antecedenti cohærere possit. Memineris autem (quod & Cicero admonet) huiusmodi propositionibus ut ueræ fiant,

adiiciendam esse negationem, aut ut plurimum interrogatione, in qua negandi uis est, esse proferendas.

(QVANVIS uerba ipsa plures ac pauci uincere ac timere repugnant.) Si pro uerbo repugnāt, contraria sunt, legas, & quod sequitur hoc pacto: Modū uerò conclusionis hunc, tam in contrariis quàm in repugnantibus fieri diximus, seu sui & præceptioni quadrabit, alioqui nullus erit sensus.

(ITA enthymemata huiusmodi ad simplicem conclusionem.) Trapezūtius hoc dicit, huiusmodi enthymemata, quæ ex contrariis constant, hactenus conuenire cū simplici conclusione, quam enthymema uulgò uocamus, quod quemadmodum maiore aut minore semper constat cū conclusione, ita enthymema ex contrariis, assumptione & conclusione.

(QVOS tamē rectius fœtores quàm rhetores.) Agnominatio seu παρονομασία est ex cōmutatione principii dictiōis.

(HOC enim ita breuius in Topicis posuit Cicero.) Ciceronis exempla hunc habent, nō hoc, potestq; (Boëtio teste) ad Lentulum & Cethegum referri.

(MAGIS adiecimus.) Sunt enthymemata, quæ etsi ex cōtrariis constant, tamen à maiore aut minore uerius ducta uideri possunt. Quale est illud, Perdere an possum rogas? seruare potui. Vide Rhodolphum libro primo de Comparatis.

(NON enim quemadmodum dialectici.) Docet id Cicero etiam in Rhetoricis, his uerbis: Variare autem orationem magnopere oportebit. Nam omnibus in rebus similitudo est satietatis mater. Id fieri poterit, si non similiter semper ingrediamur in argumentationem. Et paulò pòst: Deinde, inquit, in ipsa argumentatione non semper à propositione incipere, nec semper quinque partibus abuti. Meminit & huius rei Fabius, de usu argumentorum libro quinto. Exemplorum apud eruditos scriptores satis magna copia est.

Aristoteles dicendi etiā peritus.

(QVOD & princeps ille non solum intelligendi, sed etiam dicendi Aristoteles.) Hinc facilè liquet Aristotelem in dicendo ualuisse plurimum, quòd nec facultas nec studiū uiro defuit. Diligentiam enim & curam in dicendo, & si non alia, satis tamen declarat illa cum Isocrate æmulatio, & cum eodē in dicendo certamen. Deinde quòd arti oratoriæ plura attulit adiumenta (teste Cicerone) quàm rhetores ipsi. Ingenio uerò tam inclyto ac diuino quid deesset, quo minus posset?

Cui

Cui(si reliqui spectentur scriptores) acrimonia fuit aut sola, aut summa. Huius rei nō ignarus sapientissimus regum Philippus, aureū illud orationis flumen fundens (ut Ciceronis utar uerbis) fi.io suo Alexandro acciuit, ut ab eo non agendi modò, sed & dicendi præcepta acciperet.

(QVI etsi fraude ignorantiæ, qua multa perpessi sumus.) Pro etsi, nisi, legebatur: dictionē, tamen, adiecimus propter sensum. Quod si minus placet, habes quod sequaris: nobis absque hac mutatione parum plena periodus uidebatur, nec integer sensus. Cum autem hunc locum secūdò legissem, ut prælo libellus redderetur, commodum incidimus in exemplar quoddam scriptum, quo Trapezuntii commentariis liber aphorismorum Ptolemæi de astrorum significationibus enarratus est, nobis antea nunquam uisum: quod dum cursim perlegerem, reperi locum ubi Trapezūtius apotelesmata astrologorum uera asserere nititur experientia, atq; adeò suæ ipsius uitæ & fortunæ expositione: ubi ea, quæ sibi in uita accidissent, docet conuenire cum horoscopo, dum ipse nasceretur à parentibus obseruato. Venit autem (ut ipse scribit) è Creta insula, quam patriam habuit, in Italiam, unà cū coniuge & liberis. Quod ob id apposui, quia uulgatum est, eum Trapezunte in ciuitate Asiæ natum fuisse, quem errorem & ego in uita eius exponenda secutus eram. Deinde in Italicis academiis aliquandiu professum, Romam posteà uenisse, ubi propter librorum à se scriptorum contentionem, magnas inimicitias habuit cum Poggio ac aliis plerisque. Historiam si quis requirat, propediem erit cognoscendi copia: dabitur enim scriptum breui excudendum: continet certè summam rerum cœlestium cognitionem.

(GRAECI enthymemata.) Vide locum repugnantium LATOM. in Topicis.

(NESCIO qua ratione.) Male repræhenditur Boëtius, quoniam enthymemata sunt propositiones tertii modi, quę uim totius argumētationis continent: quod fit in omnibus syllogismis, unde sæpe maior propositio sola loco totius argumentationis ponitur.

(ACVITATE.) Pro acumine dixit, parum Latinè.

(ITEM hoc metuere.) Hæc argumentatio uerbis contrariis constat, sed re est ex minori.

(SIC oratores.) Vide Cicer. de Inuent. & Fab. lib. 5. ca. ult.
(VERUM qui docet.) Inuehitur in imperitos dialecticos.

Cicero de Diuinatione.

IN libris ergo de Diuinatione ita scriptum reliquit Cicero: Si sunt dij, neq; ante declarant hominibus, quæ futura sunt, aut nō diligunt homines, aut quid futurū sit ignorant, aut existimant nihil interesse hominum scire quid sit futurū, aut non censent maiestatis suæ esse, præsignificare hominibus quæ sunt futura, aut ea ne ipsi quidē dij significare possunt. At *neq; non diligunt nos (sunt enim benefici, generiq; hominum amici (neq; ignorant ea quæ ab ipsis cōstituta & designata sunt, neque nostra nihil interest scire ea quæ euētura sunt (erimus enim cautiores, si sciemus) neque hoc alienū ducūt à maiestate sua.* Nihil enim *est beneficētia præstantius.* Neq; *nō possunt futura prænoscere:* Nō *igitur sunt dij, neq; significāt.* Sūt *autē dij: significāt ergo.* Et, *Si nō significāt,* Nullas *uias dāt nobis ad significationis scientiā.* Frustra *enim significarent.* Nec *si dāt uias,* Non *est diuinatio.* Est *igitur diuinatio.* Hæc Cicero. Nos *uideamus quæ uis, quæ ratiocinationes huic insint orationi.* Vis *inest loci, qui ab antecedentibus dicitur, & eius qui à partibus est. Principalis ille locus, à partibus antecedit.* Argumen*tationes quatuor.* Ab *enumeratiōe partiū una, qua probatur annexū illud, neq; antè declarant hominibus quid euēturū sit.* Quibus *partibus enumeratis, atq; infirmatis, relinquitur, si sunt dij, futura ab hominibus declarari.* Quam *cōclusionē intulit, propositione ipsa repetita, quod semper ferè factitat, cū oratio necessitate rerū longior, quàm perspicuitas patitur, sibi confecta est.* Propositione *igitur ipsa resumpta, integram ratiocinationē in hoc tertio modo sic constituit:* Non *igitur sunt dij, neq; significāt futura.* Nam *falsam illam esse quā posuit, enumeratione demōstrauit.* Si *enim aliqua istarum quinq; partiū solū fieri posse uidetur,*

ne dij

ne dij futura significent, quibus minimè fieri posse, omniū infirmatione demonstratū est, repugnās hoc esse probatur, si sunt dij, nō significāt futura. Huiusmodi autē propositiones nō repugnantes esse nō possunt: quare et oppositū eius intulit negatione adiecta, uel ut uerū inferat, uel ut tertij modi propositione utatur, uel ut ostēdat repugnantē affirmatinè à superioribus sequi. Non igitur sunt dij: neq; enim significant futura: sed sunt, significāt ergo. Hac deinde conclusiōe antecedētis loco accepta aliam repugnantē negat. Repugnās hæc est: Si dij futura significāt, nullas dant uias ad significationis scientiam: hoc enim oppositū præcedētis insequitur: nā rectè infertur: Si nō significant, nullas dare nobis uias ad significationis scientiam. Est ergo repugnans affirmatiua quam negauit, ut ex ea integrū syllogismū faciat, quem intellexit hoc modo: Et si non significant, nullas uias dant nobis ad significationis scientiā. Significāt autē, igitur dant uias ad significationis scientiā. Hanc conclusionem tertiò similiter, ut & superiorē in secūdo syllogismo antecedens facit repugnantis huius, si dant uias ad significationis scientiā, nō est diuinatio. Quā negauit, ut ex uera propositione uera inferatur in tertio modo, sic: Nec si dant uias, nō est diuinatio: aßumptionem lectori docto relinquit (nullius enim sibi curæ indocti sunt) atqui dant uias. Hinc concludit, ergo est diuinatio. Vides, mi Petre, quo artificio locus hic præclaro illi uiro & oratori est absolutus, quem libenter interposuimus, ut & quod docemus, apertius faceremus, & uno ipsius loco tam & cæteros eloquentiæ studiosos, quàm docentes, admoneamus, maiore cura quàm faciunt, opera Ciceronis exponere, ne indoctiores reddant auditores quàm acceperunt, neque nudos animos ipsorum, sua ignorantia, ineptiores ab bona studia efficiant. Verùm de primis tribus, quos oratori cum dialectico

Cicero

Cicero communes sentit, dictum erit, si illud commonuerimus. Quod iam tetigimus, propter orationis elegantiam demi, addi, commutariq; nonnulla eorum posse, quæ in dicendo, ut res pateat, fieri oportere asserimus. Commutationis illud tibi exemplo sit, quòd negatiuam diximus conditionalem, cùm cōditionis notam negatio præcedit, quam Cicero postposuit, cùm dicat: Et si non significant, nullas dant uias. detractionis illud: non igitur sunt dij, neq; enim futura significant: nam Si, conditionis particulam in prima propositione positam detraxit, quam rem assumptio demonstrat. Nunc (ne quid huic doctrinæ desit) alios quatuor breuiter exponemus, quos dialecticorum esse tantum Cicero opinatur, quamuis ipse certè orator, summus dialecticus etiam (si quis ita uult) uel in orationibus nonnunquam, his usus sit. Quartus igitur modus est, cùm disiunctiuæ antecedens in assumptione ponimus, ut quod sequitur, infirmetur, hoc modo:

Aut dies est, aut lux solaris non est:
Sed dies est:
Est igitur solaris lux. Item,
Aut sanus est, aut ægrotat:
Est autem sanus:
Non ægrotat igitur.

Quintus modus est, cùm id quod in disiunctiua præcesserit, in assumptione tollitur, ut quod sequitur, confirmetur, hoc pacto:

Vel uiuit, uel mortuus est:
Sed non uiuit:
Mortuus est igitur, suumq; obijt diem. Item,
Aut non est dies, aut non est nox:
Sed dies est:

Non

Non est igitur nox.

Sextus & septimus ex disiunctiua in copulatiuam mutata, negatione addita constituuntur: & sextus quidem fit, si antecedens ponitur ut coniunctum, ac consequens interimatur, sic:

Non & risibile non est, & homo est:
Sed risibile non est:
Non est ergo homo. Item,
Non risibile est, & homo non est:
Sed risibile est:
Igitur & homo.

Septimus fit, si negatiuæ propositionis quæ ex disiunctiua copulatiua facta est, antecedens tollitur, ut quod sequitur ponatur, hoc modo:

Non & prudens est, & ineptus est:
Non est autem prudens:
Est igitur ineptus.

Ita septem hi conditionales modi tres ex propositione proficiscuntur, quam conditionalem propriè appellamus, duo ex disiunctiua, & duo ex copulatiua negatiua, in qua copula sit ex disiunctione uersa. Hinc patet *sextum ac septimum modũ in quadam non in omni materia syllogismos esse, quare syllogismos ego potius quosdam, quàm simpliciter appellauerim.* Simpliciter *enim syllogismũ dicimus, qui ea structura est, ut si ea quæ præcedunt uera sint, conclusionis necessaria colligatur cõsecutio, quòd tam prædicatorijs quàm alijs ferme omnibus cõditionaliũ modis inesse uidemus.* Nam *tertij modi cõtendat quis non esse simpliciter syllogismũ.* At *uerò & hi duo posteriores non ex omni uera copulatiua, sed ex ea solùm, quæ ex disiunctiua uera uersa sit, necessariam habent consecutionem.* Hæc *enim*

uera

uera est, non & homo est, & animal non est: in omnibus enim contrarijs ac repugnantibus, quæ simul eidem inesse non possunt, huiuscemodi copulatiua necessitatem cõtinet. At septimus ex ea modus confici non potest: non enim sequitur, si homo non sit, animal quoque non esse. Item hæc uera est: Non & lux est, & dies est. Lucem enim esse, & non esse diem simul fateri quis poterit. At sextus ex ea modus confirmari non potest: neque enim fit, si lux est, diem nõ esse. Quod si simpliciter is syllogismus est, qui ea structura cõstat, ut semper ex ueris uera colligat, idq; sextus ac septimus modus non faciat, quosdam eos & non simpliciter syllogismos esse necesse est. Vtuntur uerò tam philosophi, quàm oratores, non minus his omnibus syllogismis, qui rei, quàm ijs qui compositionis gratia consequuntur. Nunquam enim erubescunt, si res patitur, rem potius quàm compositionem diligenter sequi: ut pro Milone Cicero: Nisi uidisset absolui eum qui fateretur, non dedisset nobis tam salutarem in iudicando literam. Ab affirmatione enim non præcedentis, sed annexi, ratio procedit. Item, quamuis presius, Si hic illi fecit insidias, non sit impunè: si ille huic, tum nos scelere soluamur. In altero enim si quod præcedit affirmes, connexum primo modo confirmatur: in altero, si antecedens tollis, tollis & consequens, quod non compositionis, sed rerum ui sequitur. Quas ob res danda est opera diligenter, naturam, uim, ac ordinem rerum nosse, quod exacta Topicorum ac exquisita doctrina pollicetur: deinde syllogisticæ compositionis uires non ignorare: nam is mihi solum posteritate digna conscribet: qui hæc neglexit, eius scripta tanquam flosculi celeriter decident. Verùm de perfectis syllogismis satis, nunc de imperfectis dicamus.

In libris ergo de diuinatione sic scriptum.) Locus est de diuinatione libro primo, & rursum libro secundo, ubi hac argumentione colligunt Chrysippus, Diogenes & Antipater esse diuinationem, quem locum multis modis deprauatum ex Cicerone restituimus.

(AT neque non diligunt nos.) Ad hunc usque locũ enumerationis est expositio, quinq; partibus absoluta, cuius sensus est, Conditionalẽ illam, Si sunt dii, nec declarãt antè hominibus quæ futura sunt, non esse uerã, nisi aliqua ex quinq; partibus illis uera inueniatur. Deinde cõfutantur singulę partes eo ordine quo expositæ sunt. Prima ostenditur falsa ab amore & studio deorum aduersus genus humanum.

(NEQVE ignorant ea quæ ab ipsis sunt constituta.) Secundæ partis confutatio est ab absurdo, & natura diuina. Ridiculum enim foret si fata, quæ de communi decreto deorum constituuntur, ab ipsis iguorentur.

(NEQVE nostra nihil interest scire.) Tertia repræhenditur à fine seu utilitate nostra. Prudentiores enim fierent homines, si futura præuiderent.

(NEQVE hoc alienum ducunt à maiestate sua.) Quartæ partis refutatio sumitur ab honesto, & munere deorum, quod est iuuare mortales.

(NEQVE non possunt futura pręnoscere.) Postremæ partis est sublatio ab impossibili, & finis confutationis, quam enumerationis conclusio sequitur.

(NON igitur sunt dii, neque significant.) In conclusione hac desideratur coniunctio, si, quæ tametsi à Cicerone non est expressa, tamẽ necessariò intelligitur, sic, Non igitur si dii sunt, non significant hominibus futura. Nam hac enumeratione non efficitur, quòd non sunt dii: hoc enim pro cõfesso habetur: sed illud fieri non posse, si dii sunt, quòd non significẽt hominibus ea quæ futura sunt. Hęc igitur enumerationis est cõclusio: Non si dii sunt, nõ significant hominibus futura: & primi syllogismi hypothetici propositio. Artificiosa enim argumentationum cõnexio, qua superioris conclusio fit nouæ argumentationis propositio. Deinde assumitur in tertio modo affirmando antecedẽs, hoc modo: Sunt autem dii. quæ assumptio indicio est in propositione intelligendam esse particulam, si. Hinc infertur conclusio per sublationem conseq

consequentis, Significant ergo. Estq; hoc pacto absolutus primus syllogismus hypotheticus, cuius cõclusio iterum fit nouæ repugnantis propositionis antecedẽs. Si significant, nõ dant uias ad significationis scientiam. Hæc repugnãs est & falsa, quare ut uera fiat, adiiciẽda est negatio ante, si, quã Orator postposuit: Si non significant, nullas dant uias ad significationis scientiam. Intelliges autem negationem præpositam, si: vt, non si significant nullas dant, & cætera: quam propositionẽ loco totius ratiocinationis posuit, assumptione & conclusione suppressa. Verùm sic intelliges, significãt autem, igitur dant uias ad significationis scientiam. Rursum hæc cõclusio quã nõ expresit, fit ultimæ propositionis antecedẽs, hoc modo, Dant uias, igitur non est diuinatio: cui quoniam pugnantibus partibus constat, adiicienda est negatio sic: Nõ si dant uias, nõ est diuinatio. Assumptionẽ etiã hic subticuit, quæ est, Dant autẽ uias. Cõclusionẽ propositionis apposuit: Est igitur diuinatio. Sũt ergo in summa quatuor argumẽtationes, enumeratio una, expositione, infirmatione & cõclusione absoluta, & tres syllogismi cõditionales, quorũ primus integrè expressus, secũdus absq; assumptione & cõclusione, tertius absq; assumptione positus est.

(NOS uideamus quæ uis, quæ ratiocinationes huic insint orationi.) Trapezuntius exquirit in hoc exemplo, quæ sit uis loci: hoc est, ex quo loco dialectico argumentum sit ductum, dein quæ argumentandi elocutio siue argumentatio. Quæ duo in omni oratiõe qua quippiã probatur, quæri possunt. Erat autẽ locus bifariam apud Trapezuntium deprauatus. Sic enim legebatur in ueteribus codicibus: Argumentationes quatuor ab enũtiatione partiũ. Vna, qua probatur annexum illud, & cætera: nos sic ut nunc legitur, restituimus. Est autem totius loci hic sensus. Principiò recenset argumentum, quod ipse uim loci appellat. Id uerò duplex est. Prius ex loco partium seu specierum (nomina enim hæc sæpe confunduntur) cuius ea est in probando uis, ut si nullæ conuincantur esse species aut partes, totum etiam & genus proinde non esse: ut nec anima est, nec corpus, nõ igitur homo esse potest: & par non est, nec impar, non igitur numerus. Alterum esse ait ab antecedentibus. Ea sunt, ex quibus aliud necessariò sequitur, ut homo animali antecedens dicitur,

tur, uitium turpitudini. Cæterùm Boëtii testimonio hoc solum ab antecedentibus argumentum ducitur, quãdo conditionalis antecedens assumitur, ut annexũ concludatur, quomodo à consequẽtibus dicitur, dum propositionis cõditionalis annexum in assumptione tollitur. Verùm hoc sensu nisi Cicero ea pro argumentis recensuisset, ad alteram partem dialectices referri poterant. Qua de re uideatur Boëtius cõmentariorum in Topicis lib. iij. & Rodolphus Agricola lib. j. de locis accidentium. Nescio tamen an hoc loco legendum potius sit pro uoce, antecedẽtibus, repugnãtibus. Sunt enim hi syllogismi tertii modi conclusiones, quæ tantùm ex contrariis aut repugnantibus ducuntur, nisi fortè ob id ab antecedentibus dicantur, quòd antecedens in assumptione etiã hic affirmatur, ut annexum tollatur.

(PRINCIPALIS ille locus à partibus antecedit.) Principalẽ uocat locũ illum, ꝙ eius argumenti longior est tractatio. A principio enim usq; ad eum locũ, Non igitur sunt dii, perdurat, & totius disputationis fundamentum continet.

(ARGVMENTATIONES quatuor. Argumenta unde ducta sunt, ostendimus: Argumẽtationes uerò asserit esse numero quatuor: unam enumerationem, & Syllogismos cõditionales tres. Est autem enumeratio (teste Cicerone in rhetoricis) argumentatio, in qua pluribus rebus expositis, & cæteris infirmatis, una reliqua necessariò confirmatur. In quarto ad Herennium dicitur expeditio. Quo in loco & hoc exẽplum est: Quoniam hunc fundum constat meũ fuisse, quem nũc tu possides, necesse est aut hæreditate tibi uenisse, aut te hũc emisse, aut uacuũ possedisse, aut usu tuum fecisse, aut per uim occupasse. Mea res, me uiuo tibi hæreditate uenire non potuit: Vacuũ cùm ego adessem, possidere nõ potuisti: tuũ usu fecisse etiã nũc nõ potes; emptio nulla profertur: relinquitur ergo ut me ui de meo fundo eieceris. Constat autem huiusmodi argumentatio tribus partibus, expositione, infirmatione, & cõclusione. In scholis uocant à sufficienti diuisione. *Enumeratio.*

(QVEM intellexit hoc modo.) Qui, uetera exẽplaria habebãt: nos quẽ, legendũ putamus, deinde syllogismũ illum integrũ ponendum esse, hoc modo: Et si nõ significãt, nullas dant uias ad significationis sciẽtiã, significãt autẽ, dãt igitur uias ad significationis scientiam: quam rem satis demõstrat

quod sequitur, Hanc conclusionem tertiò similiter, &c.

Petrus Medices.

(VIDES mi Petre quo artificio locus hic, &c.) Apostrophe est ad Petrum Medicem filium Cosmi illius magni & patrem Laurentii, uiri nobilitate ac eruditione multorum testimonio clarissimi.

(QVOS oratori cum dialectico Cicero cõmunes sentit.) Id est in Topicis: Hoc genus, inquit, attingit omnino uestras quoq; in respondendo disputationes, sed philosophorũ magis, quibus est cum oratoribus illa ex repugnantibus sententiis communis cõclusio, quæ à dialecticis dicitur tertius modus, à rhetoribus enthymema nuncupatur.

(COMMVTATIONIS illud tibi sit exemplo.) Supra hoc admonuimus in secundi syllogismi propositione, ubi positũ est: Et si non significant, pro eo, non si significant.

(DETRACTIONIS illud.) Id est, in enumerationis conclusione, quæ est primi syllogismi propositio, cui detraxit Si, quam rem docet satis huius syllogismi assumptio & enumerationis expositio: ubi tantùm ponebatur Si.

(QVOS dialecticorum esse tantùm Cicero opinatur, quã uis ipse certè.) Reliqui, inquit Cicero, dialecticorum modi plures sunt, qui ex disiunctionibus constãt: aut hoc aut illud, hoc autem, non igitur illud. Item, aut hoc, aut illud: non autẽ hoc, illud igitur. Quæ cõclusiones idcirco ratæ sunt quòd in disiunctione plus uno uerum esse non potest. Atq; ex his conclusionibus quas suprà scripsi, prior quartus, posterior quintus, à dialecticis nuncupatur. hactenus Cicero.

Cicero dialecticus.

(SVMMVS dialecticus etiam.) Quantum Cicero in re dialectica ualuerit, declarant facilè quæ sunt in Tusculan. & Academicis Quæstion. Item de Finibus, & in iis, quæ de re dialectica ex professo scripsit. Tum studium in hac arte diligentissimum. Scribit enim in Bruto à Diodoro Stoico, qui cum uixit, & domi suæ mortuus est, se in arte dialectica studiosissimè eruditum & exercitum fuisse. Quinetiam iubet in Oratore suo tenendam esse dialecticã apprimè, nõ modò ueram illam quæ est apud Aristot. sed quoq; spinosam illam & Chrysippæam, ei qui bene dicendi laude extimulatur.

(SEXTVS & septimus & disiunctiua in copulatiuam.) Propositiones in his modis tantùm ualent ex iis terminis, è quibus constant disiunctiuæ, nimirum ex contrariis immediatis

diatis, aut repugnãtibus terminorum æqualium. Fiet autem disiunctiua copulatiua, disiunctiua coniunctione mutata in copulatiuam, & capiti apposita negatione. Quod Cicero in hunc modum extulit: Deinde addunt coniunctionũ negantiam sic, non & hoc & illud: hoc autem, non igitur illud.

(HINC patet sextum & septimũ.) Id solet in scholis sic dici, quasdam ratiocinationes ualere propter formã, in quibus forma & modus syllogisticus obseruatur: nõnullos uerò gratia materiæ, ut si quis colligat ex particularibus, aut negatiuis ueram conclusionem: ut illud, Nonnulli imperatores sunt tyranni, Nero est imperator, igitur etiam tyrannus. Et, Nullus homo est immortalis, leo nõ est homo, igitur nõ est immortalis. Quæ conclusiones ex materia dicuntur ualere. Trapezuntius syllogismos tales quosdã uocat, ꝙ nõ omnibus id accidat. Hæ enim sunt falsæ, Homines quidam callent literas, Barbari homines sunt. Igitur Barbari literas callent. Quod si lex syllogismi obseruaretur, fieri non posset ut sequeretur ex ueris propositionibus falsa conclusio. *Syllogismi simplices & quidam.*

(VT pro Milone Cicero, Nisi uidisset absolui eum.) Est hoc in cõfutatione ante narrationẽ, ubi orator ostendit Milonem nõ esse damnatũ præiudicio Cn. Pompeii. Cæterùm apud Ciceronem sic legitur: Quod nisi uidisset posse absolui eum qui crimen fateretur, cũ uideret nos fateri, neq; queri unquã iussisset, nec uobis tam salutarẽ hanc in iudicando literam, quàm tristem illã dedisset. Sumptum autẽ est hoc ex consuetudine forensi. Nam in maioribus causis, teste Asconio Pediano, non singuli iudices sentẽtiam ferebant, sed uniuersi simul constituebant. Quare ab eo qui iudicio præerat, id est, prætore, singulis iudicibus dabantur tres tabellæ, quarum causa perorata, quisq; unam in cistulas coniiciebat. Erãt autem insculptæ tabellis literæ, A, absolutionis, C, condẽnationis, & N, L, quibus significabatur nõ satis liquere. Sed hæ postremæ literæ tantùm dabantur in causa, qua de capite nõ agebatur. Sic igitur colligit: nisi Pompeius uidisset Milonem absolui posse, nõ dedisset iudicibus tam salutarẽ literam: dedit autem, igitur uidebat posse absolui. Verùm assumptionẽ & conclusionem non exprimit orator, nec necessarium erat. Porrò quod ad Trapezuntium attinet, non uideo qua ratione putet hic in secundo modo malè collectum esse, cùm pro *Modus ferẽdi sententias.* *Trapezuntij lapsus.*

cedatur à sublatione annexi ad sublationem antecedentis, id quod in secũdo modo facere oportet. Hic enim sensus est: Si non uidisset eum posse absolui, non dedisset uobis salutarem literam. Iam tolle annexum, hoc est, aufer ab eo negationem. (Tollere enim diximus oppositũ ponere) hoc modo: dedit autem: conclude nunc oppositum antecedẽtis sic: Videbat igitur eum posse absolui. Nam in propositione fuit negatio, quæ latuit in dictione, nisi. Simile est si dicatur: nisi uirtus esset, non esset fortitudo, id est, si non est uirtus, non est fortitudo: ex quo collige sic in secũdo modo: Est autem fortitudo, igitur & uirtus. Quanquam enim hic affirmatiuè ponuntur & annexum & antecedens, non tamẽ non tolluntur. Qui lapsus (si tamen lapsus est dicẽdus) ortus est ex ambiguitate uerborum, ponere, & tollere. Non enim idem est affirmare, quod ponere: nec negare, quod tollere. Quanquã Cicero in Topicis aut negare posuit pro eo quod nũc tollere dicimus, aut secundum modum syllogismorum non satis generaliter descripsit. Sic enim ait: Cùm id quod annexum est, negaris, ut id quoque cui fuerit annexum, negandum sit. Quod non satis cõgruit propositionibus hypotheticis, quarum pars una aut utraq; negatiua est.

(ITEM quanuis presſius, Si hic illi fecit insidias.) Ex eadem oratione in principio confirmationis Ciceronis uerba habent in hunc modum: Nũquid aliud igitur in iudicium uenit, nisi uter utri insidias fecerit? profectò nihil, si hic illi, ut ne sit impune, si ille huic, tum nos scelere soluamur.

(IN altero enim si quod præcedit affirmes.) Id est quod secundo loco dicitur: Colligit enim à positione antecedẽtis ad positionẽ consequẽtis in primo sic: Si ille huic fecit insidias, tum nos scelere soluamur: Fecit autẽ, igitur soluamur.

(IN altero si antecedens tollis.) Hoc est, quod priore loco dicitur: si hic illi, ne sit impune. Tollitur in assumptione antecedens. Atqui Milo nõ fecit. annexum quoq; tollitur in cõclusione, id est, absq; negatione sumitur. Nam in propositione negatio, ne, adhæsit consequẽti, Igitur sit impune, Veluti si dicas: Si uitium est, expetendum non est. Atqui uitium nõ est, igitur expetendum. nõ necessariò sequitur: Nec enim continuò expetendum est, quod uitium nõ est. Quare apud Ciceron. nõ compositionis, sed terminorum ui sequebatur.

In

(IN libris ergo de Diuinatione.) Primum ex consequentibus probat, si sunt dii, futura significare, sed per oppositũ ex partiũ enumeratione, quæ sunt ex causis. prolatis enim causis non significandi, significatio confirmatur. Itaq; infert ex cõtrario, si sint dii, haud dubiè significare. Quo tãquã primo gradu argumentationis cõstituto, inducit deinde secundum si significent, uias dare ad significandũ: sed utitur tertio modo cõditionaliũ ex repugnãtibus. Non si significant, inquit, nullas dãt uias ad significandũ: & addit rationẽ, frustra enim significarent. Deinde & tertiũ adiungit omissa adsumptione & cõplexione, sicut in priori, quia manifesta sunt: uerũ eodẽ modo ex repugnantibus: Non si dant uias, inquit, non est diuinatio. ex quo infert cõplexionẽ, omissa adsumptione, est igitur diuinatio. Sic tribus gradibus ex consequẽtibus & repugnantibus probat esse diuinationẽ: ut, si sunt dii, significant: si significant, dant uias significandi: si dant uias significandi, est diuinatio. quæ quidẽ sic proposita sunt ex antecedentibus, sed ipse ut acrius cõcludat, mutat in cõsequẽtia & repugnantia, quod in hoc genere fieri põt. Vide Topica Ciceronis de antecedentibus, cõsequẽtibus, & repugnãtibus. LATOM.

(NON sunt igitur dii.) Hæc copulatiua cùm sit, uim cõditionalis habet. Valet enim, Nõ igit' si sunt dii, nõ significant.

(REPVGNANS hoc esse probatur.) Id est, negatiua ex his repugnãtibus sumit', quę est, Non si sunt dii, futura nõ significant. Nã deos esse, & nõ significare, repugnãt. Sic paulò pòst repugnãtẽ negat, pro negatiua ex repugnãtib' format.

(COMMVTATIONIS.) Non est cõmutatio, sed mendum, quia, Non si, legendum est: ubi uerba ab imperitis sunt transposita. Detractio etiã nulla est, sed copulatiua loco cõditionalis posita, quæ eandem uim obtinet.

(DIALECTICVS etiam.) Sed non separatur dialectica ab eloquentia. (DISIVNCTIVAE.) Propositionis.

(AT uerò & hi duo posteriores.) Sextus & septimus modus si constituant' ex repugnãtibus æqualiũ terminorũ, erũt perpetui, nõ minus quã cęteri syllogismi, secus si ex aliis fiãt.

(VTVNTVR uerò tam philosophi.) Rhetores utuntur periodis hypotheticis non tam probãdi causa, quàm eloquẽdi: et si probent interdum, tamẽ hoc nõ agunt, ut illa forma probent: sed seruiunt elocutioni.

DE SYLLOGISMO IMPERFECTO, SEV ENTHYMEMATE.

Imperfectus syllogismus.



Implex conclusio est, quæ unius propositionis necessaria consecutione conficitur simpliciter, hoc pacto: Eo isto tempore, quo Romæ istud à me factum dicis, ego trans mare fui. Non ergo feci, nec potui quidē facere. Cōposité hoc modo,

Contemnis tu uirtutem, cùm sis homo:
Virtutem ergo contemnis.

Huius rei à iunioribus qui de dialectica scripserunt, multa dantur præcepta, quorum cognitio & difficilis est, & parum utilis. Illud longè magis necessarium ad dicendum, locorum uim omnem rationemq; percipere, quod non rhetorem solum constituit, dialecticum armat: uerùm & ad cæteras facultates tam ornamentum quàm copiam adferre solet: nec solum enthymematicum facile reddet: sed omnium syllogismorum radices, & quasi principia funditus aperit. Quas ob res maxima semper diligentia, topica est à maioribus nostris ratio celebrata. Et profectò qui credit absque locorum, id est, topici artificij cognitione rectè, copiosè, facilè inuenire, is cùm neq; per se quanta sit hæc res, intelligere queat, neque maiores tam Latinos quàm Græcos audiat, quasi demens condemnatur. Quare tu quem ad maiorum imitationem non casu, sed recta ratione instituere cupio, terminos quæstionis sic diligenter considera, ut genera, species, differentias, propria, quæ inhærent accidentia, partes singulas, definitiones, notas, antecedentia, consequentia, causas, effectus, coniuncta, paria, & rursus maiora, minora, contraria, repugnantia, ut inquā omnia hæc quæ intrinsecus sunt, aspicias. Nec te fugiat syllogismorum uis,

uis,natura,similitudo,dissidentia. Nam si rectè locos intellexeris,exercitatione adhibita,mirabilem quandam & facilem habebis dicendi copiam. Nec indoctis ac rudibus auscultes: qui idcirco putant uel nihil, uel perexiguum inde nobis suppeditari, quòd ipsi aut nihil aut parum educere possunt. Nec te quoniã res ardua est,deterreat,faciet enim eam usus facilẽ. Nam quemadmodum qui literas sciunt,non est necesse,quoties legunt ac scribunt, toties cogitatione literarum uim,atq; numerũ conquirere:sic qui locos mente conceperunt,exercitatione firmarunt, usu innatos sibi effecerunt, eos necesse non est,quoties quæstio proposita est, toties ad eius sepositos locos reuolui,sed occurrũt illico peritis ad explicandã quæstionem, ut literæ ad singula uerba scribenda,etiã si non quæris,ut natura nõ arte ad eas insti tutus esse uidearis. Sed pleriq; adeò sunt rudes atque agrestes,ut antequã locos bene noscant,inueniendi copiã habere uelint,quasi uerò quisquam uerba legere scripta possit, nisi literarum primò figuras acceperit,deinde usum lectioni sæpius atq; sæpius accommodauerit. uerũ indoctos tabescere sinamus, nos ne indocti simus, elaboremus. Omnes igitur loci unde ad syllogismos medium quæritur,enthymematici sunt. Non enim est aliud perfecti, aliud imperfecti syllogismi medium. Quod cùm ita sit,rerum tamen ipsarum uel perspicuitas,uel trita consuetudo facit, ut conclusione potius simplici,quàm perfecto syllogismo utendũ sit. Nam sicut in re parum cognita,ratiocinari oportet absolutius, sic in aperta,propositionum altera fastidiũ parit. Sed cùm tribus constet ratiocinatio propositionibus (conclusionem enim etiã propositionem uoco)enthymema duabus,dubitare poteris qua ex præmissa conclusionẽ potius enthymema tis inferre solemus. Quæ res ut te certa ratione cõpræhẽsa,

non sinat huc & illuc tanquã imperitũ fluctuare, medium terminũ maiori & minori cõpara. Quòd si æqualiter antecedere uel consequi ad utrunq; uidetur extremum (quod posse fieri contenderemus, quãuis rarò æqualiter ex alteru tro infertur cõclusio) præmitti potest utralibet. At si locorum ui considerata, certius aut uerisimilius extremorũ alterũ antecedit aut consequitur, certior aut uerisimilior est præmittẽda: quod in dicẽdo qui non obseruat, non ignorantiæ solum, sed tarditatis quoq; crimine est accusandus. Illud apprimè tenendũ, simplicis conclusionis (si necessaria uti debet consecutione) conclusionis oppositũ præcedẽti repugnare, si uerisimiliter cõsequatur, connecti posse: necessaria ista non est consecutio, mater est, ergo filium diligit. Ad hæc, quoniam simplicis conclusionis consequens, alterius consequentis antecedẽs fit, & eius similiter consequens alij antecedit, quod primò omnium antecessit, necessaria consecutione ad ultimum consequens præcedere, quod etiam in orationibus fieri obseruauimus, hoc pacto: Si ridet, homo est: si homo est, animal est: & si animal est, substantia est: & assumendo, atqui ridet, ergo substantia est. Præterea tenendum optimè est, oratores maximè in dicendo solere, cùm ratione aliqua quicquam uelint comprobare, unicam propositionem dicere, auditoribus cætera relinquere. Habet enim plerunq; breuitas, quando res adaperta est, maiores neruos implicita, quos incidit explicita oratio, ut in epistola ad Plancum: Senatus tibi non amicior est, quàm tota ciuitas. Mirabiliter enim populus Romanus uniuersus, & omnium generum ordinúmque consensus, ad liberandam Rempub. conspirauit. Quæ ratio etsi plurimum moueat, parum tamen accommodata subtilius hæc perscrutãti uidebitur, nisi ad syllogismum, cuius uiribus nititur, absolutius

Lib. x. Familiarium epistolarũ.

solutius reducatur: plurimum enim afferre ad probandum, tam senatum quàm totam ciuitatẽ amicißimam esse Plan-*co, primo impetu uidebitur sola, exanimata languescit ac labitur.* Quare *uires suæ per syllogismum perspiciantur hoc pacto*, Omnes *qui ad liberandam rempublicã mirabiliter conspirant, uehementer amant eum qui rempublicam liberare & uult & potest*: Sed Populus Romanus *uniuersus, & omnium generum ordinúmque consensus ad liberandam* Rempubli.*mirabiliter conspirant*: Populus *ergo* Romanus *uniuersus, & omnium generum ordinúmque consensus uehementer amant eum qui* Rempublic.*liberare & uult & potest.* Sed *utraq; tibi insunt*: Tibi *ergo tam senatus, quàm tota ciuitas est amicißima.* Ita *una propositio, syllogismi unius & simplicis conclusionis uires habet.* Qua *ex re uides quanta ignorantia illi sunt inuoluti, qui putant in oratoribus, ac maximè in* Cicerone *uerborum esse copiam, non sententiarũ.* Nam *cùm nec quid dicat, nec cur dicat, nec quomodo, intelligant, uerborumq; solam uenustatem considerent, damnare audent quem nõ intelligunt: nec mirum, cùm pleriq; eorum, qui hanc dicendi copiã profitentur, quiq; docendo* Ciceronis *libros aperire conantur, id ita esse concedunt.* Verùm *tu hos ignorantes contemne, & plurima sic dicta diligentius examines, subtilius accommodes, nec ratiocinationẽ putes, sed inuenta implicitè atque inuolutè cõscripta, uel ut magis breuitate moueant, uel ut artificium abstrusum lateat.* Quod *nullus certè percipiet, nisi quod inuolutius complicatum est, latius explicet: quod tamen nõ in omnibus fit.* Nam *cũcta quæ rationis uim obtinent, ad prædicatorios syllogismos reduci poße, nemo peritus negabit.* Non *ergo in omnibus, sed in obscurioribus faciendum esse arbitror.* Ac *de his satis.*

DE SIMPLICI CONCLVSIONE.

NEOMA. SIMPLEX conclusio est.) Simplex conclusio, quod uulgo enthymema uocamus, est argumentatio quæ propositione, id est, antecedēte & consequente constat, ut, lac præbet, igitur peperit. Verùm quid intersit inter enthymema & simplicem conclusionē, & quo pacto his utēdum sit, quo rectè intelligatur, altius quædam huc referenda existimaui: è quibus, ut spero, rectè iuuētus intelliget, quæ de argumentatione apud Aristotelē in rhetoricis & resolutiuis, quæq; apud Fabiū quinto Institutionum tradūtur. Est itaq; enthymema non ut uulgo putatur, certa quædā argumenti elocutio aut forma probationis, quemadmodū apud oratores cōplexio aut enumeratio: sed omnis probatio oratoria artificialis nō exemplaris. Siquidem Aristoteles secūdo libro rhetorices omnē probationē quę arte cōstat, seu ut ipse loquitur, πίστιν in παράδειγμα & ἐνθύμημα partitur, atque ex oratoribus alios παραδειγματικοὺς, alios ἐνθυμηματικοὺς, hoc est, quosdam rebus dubiis fidem facere exemplis, alios artificiosa ac cōmentitia probatione: cuiusmodi est quæ è locis ducitur. Quo intellectu uocabulum etiā accipitur apud Plutarchum in uita Demosthenis, quo loco sic ait: καὶ πυθέας ἐπισκώπτων ἐλλυχνίων ἔφησεν ὄζειν αὐτοῦ τὰ ἐνθυμήματα, id est, & Pytheas insultans, eius enthymemata lucernā olere aiebat. Vsurpat apud Gellium in eadē significatione libro 10. cap. 20. Definitur autem enthymema in priore resolutione ab Aristotele: συλλογισμὸς ἀτελὴς ἐξ εἰκότων ἢ σημείων, id est, ratiocinatio imperfecta, ex uerisimilibus & signis: ut, hæc mulier peperit, nam lac præbet, ex signo est: &, Bellum calamitosa res est, pacem igitur poscamus, ex credibili est. Dicitur autem ratiocinatio imperfecta, quòd nec distinctis nec totidē partibus semper colligitur, sed paucioribus ferè quàm syllogismus, præsertim in re aperta. Vt quod Milo coronabitur, satis erit, si dicatur in Olympiis uicisse: nihil hic opus est addere, Qui Olympia uicit, coronabitur. Quòd si res obscurior sit, nihil absurdi est si pluribus uel totidē partibus, quot syllogismus, concluditur enthymema, ut collectio, aut subiectio, aut enumeratio, apud oratores. Quod satis uidetur significasse Aristoteles primo rhetoricorū, ubi ait, Enthymema sæpe ex paucioribus cōstare

Enthymema & simplex conclusio quid differant.

Enthymematis finitio.

re

re quàm ex iis,ex quibus est syllogismus. Quare (ut semel dicatur)enthymema,& quod idem est (ut ex Cicerone colligere licet & Fabio) ἐπιχείρημα, nihil aliud est, quàm excogitata oratoris probatio,nulli certæ elocutionis generi astricta Liberior enim multò est rhetorica elocutio, quàm dialectica. Hic enim argumentatio syllogismo aut inductione tractatur,ibi oratio ut cõcioni magis accõmodetur, latiùs euagatur,nec certis argumentationũ formulis subiecta est. Efferimus autẽ enthymemata nonnunquam simpliciter,ut magis ornatus causa, quàm faciẽdæ fidei adhibita uideri possint,ut illud Ciceronis: Ei uiro mors parabatur, cuius in uita salus nitebatur ciuitatis.Nonnunquam interrogatione:ut, Audes fulcire ruinam,Sub qua Roma iacet?Quem cum aliqua gratia noluit,uoluit cum aliquorum querela? Quem iure,quem loco, quem tempore non est ausus,hanc iniuria, iniquo loco,alieno tempore, cum periculo capitis non dubitauit occidere?Sępe propositione cui ratio subiicitur:ut,Ebriis ignoscendum est,peccãt enim ignorãter. Aut ratione proposita, quæ tum antecedens uocatur,reliquo sequente, hoc est,simplici conclusione,ut hoc ipsum:Ebrii peccant ignorãter,igitur ipsis est ignoscendum. Verum sæpius sic eloquimur, ubi argumentum est necessarium, quemadmodum illud,Eo die Interamnæ fui,igitur Romæ in cæde interesse non potui.Frequentissimè propositione connexa, id est,conditionali:ut,si bellum horum malorum causa est, per pacem emẽdabimus. Porrò quo potissimum elocutionis genere enthymemata expoliri debeant, nihil potest præcipi perpetuum. Nam frequẽter una est & enthymematis & elocutionis inuẽtio, quẽ admodum accidit enumerationi,uiolationi,pluribusq; aliis. Quæ causa esse uidetur,cur apud Fabium & Aristotelẽ pauca admodum de argumentationum formis præcipiantur. Numerantur uulgo decem, uidelicet complexio, enumeratio,simplex conclusio,subiectio,submissio,oppositio,uiolatio, inductio,collectio,ratiocinatio. Nos his uersiculis memoriæ commendare solemus:

Enthymematis quæ elocutio.

Argumentionum decem sunt genera.

Complex,enumerat,simplex,subiectio,submiss.
Oppositum,uiolat,inductio,collige,summa

Quarum finitiones require apud Trapezuntium lib.iij.rhetorices,& in rhetorica ad Herennium.Nobis ne instituti im-

memo

memores esse uideamur, ad dialecticam reuertendum est, si hoc prius cõmonuerimus, simplicẽ cõclusionem esse certã quandam enthymematis elocutionẽ, & enthymema quoq; uocari: quod simplex cõclusio examen & regula sit omnium enthymematum, quemadmodum dialecticarũ probationũ syllogismus. Quare fit ut alterum pro altero sæpe accipiatur.

(COMPOSITE hoc modo.) De composito & simplici enthymemate nihil uspiam inueni, nisi quod Aristo. 2. Rhetoricorum περὶ γνώμων, hoc inter cætera admonet, quasdam sententias esse enthymematicas, eas uidelicet, quibus ratio adiuncta est, ut illud ἀθάνατον ὀργὴν μὴ φύλαττε θνητὸς ὤν, hoc est, iram immortalem, cum sis mortalis, non serua. Si de huiusmodi Trapezuntius nõ loquitur, uix uideo quo pacto hunc locũ intelliges. Sit igitur enthymema cõpositum, ubi ex propositiõe ratione cõfirmata, quidpiã colligitur, ut hoc compositum est: Immortalẽ iram, cũ sis mortalis, nõ serua. Nam simplex est, iram ne serues immortalẽ. Huic subiungitur ratio à cõtrario, quoniam es mortalis. Proinde si hinc sequitur aliquid cõpositũ erit gratia propositionis seu antecedẽtis cõpositi, hoc pacto: Mortales cũ simus, immortalẽ iram ne seruemus. Te igitur immortalẽ irã seruare minimè decet. Deest hic assumptio, quã si apponas, perfectus erit syllogismus. Nã sic plena ratiocinatione colligeres: Mortalis immortalẽ irã nõ habeat: Tu mortalis es, immortalẽ igitur iram nõ serua. Ad eundẽ modũ hoc Trapezuntii enthymema compositum uideri potest, si legatur antecedẽs & consequẽs cũ interrogatiõe, in qua negãdi uis inest, Virtutẽ tu contẽnis, cũ sis homo? cõpositum est. Simplex enim sententia est, uirtutẽ non cõtemne. cui ratio additur, cũ sis homo. Habet enim uirtus in se diuinũ quiddã, ut uel improbo homini ui quadã sui honesta ac expetẽda uideatur, & ut Socrates dicere solebat, mirabiles excitaret in nobis amores, si oculis cerneretũ. Quare compositũ hoc esse agnoscitur, Virtutẽ, cùm sis homo, nõ cõtemne: proinde sic syllogismo colligeres: Atqui homo es, uirtutẽ igitur non cõtemnes. Assumptio (ut uides) apud Trapezuntium omissa est. Hunc locum ob id prolixius exposui, quòd enthymematis illius utraque pars hic absq; negatione legebatur: ac ob id quod rarum esset de cõposito ac simplici enthymemate, hic locus multis deprauat⁹ esse uidebatur.

Enthymema compositum.

Porrò

Porrò huiusmodi sententias, quod Aristoteles etiam indicat περὶ γνώμων, satius erit absque consequēte efferre, hoc modo: Virtutem tu contemnis, cum sis homo? Iram immortalem seruas, cum sis mortalis? quid opus erat addere: Virtutem igitur non contemnes: immortalem iram igitur ne serues? Probè itaque ab Aristotele huiusmodi γνῶμαι ἐνθυμηματικαὶ dicuntur, quòd enthymemata latētia, id est, occultæ argumētatiōnes sint: uide Rhetoricorū ad Herennium librum quartum, & Trapezuntium libro ultimo rhetorices de magnitudine.

(HVIVS rei à iunioribus, qui de dialectica scripserūt, multa dantur præcepta.) Simplicis conclusionis intelligit consequentiam. Ea est connexio antecedentis cum cōsequente, non consequens ipsum: ut hic, honestum est, igitur laudabile: consequentia si negetur, negatur hoc ex eo sequi, cuius probatio est dissimulata propositio, quam semper requirere cogit: Vt, sapientes nullius indigent, igitur sunt beati: hoc si negatur, subiiciēda est propositio probationis loco: Qui nullius indiget, est beatus. Dantur autem de consequentiis regulæ aliquot non omnino contemnendæ, quales sunt nonnullæ apud Aristotelem περὶ ἑρμηνείας de coniunctis & diuisis. Apud recentiores multa, ut in eo tractatu qui de cōsequentiis inscribitur, sed illa prolixiora forte sunt quàm utiliora.

(ILLVD longè necessarium ad dicendum, locorum uim omnem rationemq́ue percipere.) Vis locorum (ut suprà admonuimus) animaduertitur ex maximis illis Boëtianis, quas ipse singulis locis apposuit. Sunt autem propositiones quædam indubitatæ adeò certæ, ut ipsæ probatione nō egeant, atque ob id enthymematis ex locis ductis tantum confirmandis adhibētur. Ex his cernere licebit, quid ex quo sequatur: quare in disputandi usu ac iudicando nequaquam negligendæ sunt. Nam si cum proteruo agas altercatore, ad has sæpe ut sacram anchoram confugiendum est: ut si huius enthymematis, nocet ruditas, prodest igitur eruditio, negetur consequentia, unde erit probatio præterquàm ex ea maxima, quam Cicero tradidit, Contrariorū contraria sunt consequentia, quod ueluti principiū erit eius probationis? Et Fabius in loco generis & speciei huiusmodi maximas annotauit. Omittuntur à Rodolpho Agricola, quoniam ad inuentionem nihil faciunt, sunt enim ad iudicandum inuentæ. *Libro 5.*

(Nec

ἐνθυμηματικός. (NEC solum enthymematicum facile reddit.) ἐνθυμηματικὸς est, quem uulgo ac barbarè discursiuum uocant, hoc est, solers, acer in argumentationibus, & in comminiscēdis probationibus felix. Est autem hoc præcipuum dialectici officium. Quod autē à Trapezuntio dicitur, huiusmodi est, locos dialecticos non solùm hoc efficere, ut promptè faciliterq; inueniamus, sed etiam magna ex parte conferre ad iudicandū & dispiciendas uires argumentationum dialecticarum.

(TERMINOS quęstionis sic diligenter cōsidera.) Ex Rodolpho Agricola satis liquet omni differēti propositam esse quæstionē, id est, dubiam sententiā: Nā rebus de quibus nemo ambigit, probationē non quęris. Admonet autē Trapezuntius quæstionis terminos esse intuēdos. Quod ut clarius intelligatur, primū meminerimus oportet, eosdē terminos esse conclusionis seu consequentis in enthymemate, & in omni probatione tam dialectica quàm rhetorica, & quæstionis. Solo enim efferendi modo differt à cōclusione quæstio. Vt huius enthymematis: Alterius felicitate torquetur, igitur non est beatus inuidus. quæstio foret, an inuidus sit beatus: cuius termini sunt subiectum & prædicatum inuidus & beatus, qui etiam consequentis termini sunt. Hi deinde cum medio, eo uidelicet qui fuit in antecedente, nec in consequente repetitus est, conferendi sunt, uidendumque qua ratione cū maiore ac minore medius conueniat, hoc est, sit ne illius genus, definitio, species, & cætera: ut in prædicto enthymemate, inuidus alterius felicitate angitur, igitur non est beatus: argumētum seu medius terminus est, angi rebus alterius. Id si cum auaro conferatur, est illius finitio: sin cum beato, repugnans. Erit igitur rata enthymematis consequentia ex loco definitionis: Cuius est ea in probando uis, ut à quo definitio remoueatur, ab eodē dimoueatur definitū. Quare si angi rebus alterius in beatū cadere nō potest, nec proinde in beatum inuidia. Seu ex loco repugnātium, repugnātia enim sibi mutuò nō conueniūt. Sed hęc fortè argutiora sunt, illud autem longè necessarium ad dicendi facultatē, quæstionis terminos per locos dialecticos ducere, quemadmodum Rodolphus secundo libro dialectices locis aliquot ostendit.

Termini quæstionis.

De locis. (VT genera, species, differentias, propria.) Capita locorū summatim recenset eò ferè ordine, ac iisdē nominibus, quibus

bus idem autor libro tertio rhetorices suæ fusius eos docuit. Nos, ut lectori specimen tātùm artis huius indicaremus, singulis exēpla aliquot subiecimus, longior tractatio aliunde quæratur. A genere itaq; argumenta ducimus affirmatiua ac negatiua hoc pacto: Si dialectica ars est, discetur exercitatione. Item nō est uirtus in homine, igitur neq; cōtinentia. Maxima est, De quo genus negatur, de eodem & species & inferiora omnia. A specie ad genus affirmatiuè sic: Est consul, igitur magistratus: cōtinentia est, igitur uirtus. Maxima, cui species tribuitur, eidē genus. Differentia est qualitas qua rerum species inter se differūt. Ex ea argumētum sumitur in utranque partē, ut Pygmæi ratione utuntur, igitur homines sunt: eadē carent Satyri, igitur homines non sunt. Maxima huius loci eadem est cū loco finitionis. A proprio argumentum est perinde atq; à differentia: ueluti, si tyrannicidæ proprium est ciuitatem liberare tyrānide. Brutus tyrannicida est, liberauit enim ciues tyrannide. Maxima hic eadem cum loco superiore. Accidentia sunt, quæ alii inhærentia uel adhærētia, alii adiacentia uocant, Cicero adiuncta. Hinc argumenrorū magna copia & maiora uarietas, ob id quam rationem habeāt probandi, dici facile nō potest, nec una lege omnia possunt censeri. Sumitur autem argumentū ab accidentibus, quādo ab eo quod subiecto inhæret, probatio ducitur. Sic Aristoteles colligit solem non esse igneū, quòd colorem habeat non igneum, nec reliqua astra esse ignes, quoniā calida non sunt. Et alibi: Vanum esse commētum de mundi concentu, quòd orbes illi sonū edere nequeant. A definitione argumenra sumuntur in utranq; partem, ut, Si sacrilegium est, à loco sacro quippiam surripere, sacrilegus est qui deorum delubra spoliat. Item negatiuè, Si summū bonum est quod per se expetitur, opes quæ alterius gratia expetūtur, summū bonum non sunt. Maximæ huius loci modo meminimus. Partium multiplex est conditio: aliæ enim sunt integrantes, ex quibus tale argumentum est: tecto caret ac pariete, igitur ædes nō sunt. Alię sunt substātiales, ex quibus sic colligimus, anima caret, igitur animal nō est, id ex forma est. Itē ex materia: Vtinam ne in nemore Pelio cecidisset abiegna ad terram trabes, non esset facta illa nauis Argo. Affirmatiuum argumentum tantum uerisimile est: Vt, habent Indi aurum, habent ferrum,

Genus. *Species.* *Differētia.* *Proprium.* *Accidētia.* *Definitio.* *Partes.*

quare

quare nec moneta nec armis carent. Maxima est, si partes desunt, integrum esse non potest. Notæ sunt rerum uocabula, quæ ab Aristotele σύμβολα dicuntur, ab aliis etymologia, quã Cicero notã & notationẽ transfert, originationem Fabius: Rodolphus nomẽ rei. Hinc probatio erit, si ex ui uocis argumentũ sumitur, ueluti si quis Solem solũ inter astra lucere dicat, aut astra ignes esse à nomine æther, quod si ab αἴθω est, ut dixit Anaxagoras, incendium significat. Verùm hæc argumenta urbanitatis aut ridiculi gratia sæpius adhibentur: ut si quis dicat (quemadmodũ apud Aristotelem est) in eum cui sit nomen Polus, semper tu polus es, mutabilem enim significat. Aut si quis leges quas Draco tulit, nõ hominis, sed draconis esse dicat. Maxima est, interpretatio nominis & nomẽ ipsum, eandem uim habẽt. Antecedẽtia sunt, quæ rẽ quampiam necessariò aut uerisimiliter antecedunt, ut curationem morbus, pugna uictoriam, pactũ concubitus, cõsuetudinem colloquia & congressus, cædes odium, eruditionem labor et uigilia. Huiusmodi in omni quæstione diligẽter consideranda sunt. Ducimus autem argumenta à cõsequẽti ad antecedens necessaria affirmatiuè: ut, si cinis relictus est, incẽdium præcessit: si eruditio, studium: si cædes, odium aut ira fuit: si pœnitentia, errorem fuisse oportet. Si ab apostolis hominibus peccata remittebantur, confessionem delicti præcedere oportuit. Ab antecedentibus ad consequentia argumentum affirmatiuum non semper necessarium, negatiuum ferè semper: ut, error non fuit, igitur nec pœnitentia: affirmatiuè nõ sequeretur, nisi uerisimiliter. In iis quæ tempore antecedunt & consequuntur, Maxima est, si consequentia sunt, præcessit aliquid. Quæ uerò naturali ordine inter se referuntur, ut superiora & inferiora, eam habẽt maximam, quã genus & species. Verùm hic locus etsi per omnes alios dispersus est, non erit tamen inutile sub hoc nomine aliquando argumentum quærere. Causa est, cuius ui aliquid euenit; & sunt quatuor, materia & forma, quæ pertinent ad locum partium: efficiens & finis, quæ sunt huius loci. Ab efficiente negatiuum argumentum necessarium est: ut, non fuit exercitus, igitur nõ est commissa pugna. Telo ac ferro caruit, igitur hunc non occidit. Affirmatiuum non semper necessarium, ut si artifex sit, opus proinde esse non sequitur. A fine autẽ huiusmodi sunt:

Antecedentia. *Consequentia.* *Causa.* *Efficiens.* *Finis.*

Quò

Quò mihi diuitiæ, si non conceditur uti?
Finis enim diuitiarũ usus est. Et, si beati fieri non possumus, quid uirtutem sequimur? Et, si disci nequit eloquentia, frustra homines discunt dicendi præcepta. Huc spectant ea quæ ab utili & honesto sumuntur. Maxima est, unamquanq; rem à causis esse spectandam. Effecta sunt, quæ à causis oriuntur, ut à sutore calceus, à pictore pictura, ab arbore fructus, à parente proles, à doctore discipulus. Hinc argumenta sunt huiusmodi: Bonus parens, quia bonus filius: mali corui, malum ouum, &c. Maxima est, causas ab effectis non separari. Coniuncta sunt, quæ ut plurimùm accidere solent, ut pallor ægritudini, morbus senectuti, aut morum difficultas, cædi iurgiũ, contentio, inuidia, odium. Ab his coniecturalia sunt argumenta: ut si laborare eum dicamus qui crebrò suspirat, illum occidisse qui pridie cùm occiso inimicas habuit contentiones. Sunt huius loci signa uerisimilia, ut amat qui osculatur: & necessaria, ut uiuit qui spirat. à Rodolpho contingentia hæc dicuntur. Spectant etiam huc, locus, tempus, connexa. Maxima est, ex adiunctis adiuncta debere perpendi. Paria, maiora, minora, uno nomine comparata dicuntur. A pari huiusmodi argumentum est: Si imperator aliquando uincitur, cur nõ etiam orator? Arte eligitur gubernator, igitur & magistratus, & si uobis locare turpe non est, nec nobis cõducere. Maxima est, æqua paribus conueniunt. A maiore argumentum ducitur, cùm id quod minus est infertur: qui sacrilegium facit, faciet & furtum: si ne dii quidem omnia sciunt, quo pacto homines? Maxima, quod in maiore nõ ualet, nec etiam in minore. Ducitur argumentum à minore, cùm id quod maius est, infertur: ut, qui furtum facere noluit, hunc sacrilegium commissurum putas? &, an tibicines qui fidibus utuntur, suo, non multitudinis iudicio, cantus, numerósque moderantur? uir sapiens qui multò arte maiore præditus, non quid uerissimum, sed quid uulgus uelit exquiret? Item apud Comicum:

Hic tam paruæ consuetudinis
Causa, huius mortem fert tam familiariter.

Quid si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri? Maxima est, quod ualet in re minore, ualet quoq; in maiore. Cõtraria hic accipies omnia opposita, præter relatiua. Ducũtur ab his

Effecta. *Contraria.*

i argũ

argumenta, quæ sola rhetores enthymemata uocāt propter excellentiam, ut illud: Cùm fateatur satis magnam uim inesse uitiis ad miseriam, non fatendum est eandem uim inesse uirtuti ad beatam uitam? Et apud Aristol. Si bellum horum malorum causa est, per pacē emendabimus. Si quod scis prodest, quod nescis obest. Maxima, contraria contrariis conue-

Repugnantia. niunt. Repugnantia sunt, quæ nec cohærere, nec eidem conuenire possunt. A cōtrariis differunt, quòd horum unum uni duntaxat aduersum est, hic plura uni aut unum pluribus: ut, ebrietas continentię, studio, uigiliis, labori repugnat. Ab his argumentantur negatiuè: ut, Si auarus est, non comessatur: Si uoluptarius, literarum studiosus non est. Si inimicus, non prodest: Si dies, nō sunt tenebræ. Maxima propositio huius loci est, uni repugnantia nō cōuenire, nec cohęrere inter se.

(VT, inquam, omnia hæc quæ intrinsecus sunt aspicias.) E locis quos huc usq; Trapezuntius recensuit, dicūtur argumenta artificialia, quæ arte ac ingenio differentium excogitātur, dicūturq; à Cicerone in eo ipso, de quo ambigitur, hærere. Quare Trapezuntius huiusmodi locos intrinsecus rem aspicere dicit. Quod quidem cū Rodolpho nō pugnat, apud quem illi ipsi quos hic Trapezuntius intrinsecus hærere dicit, diuiduntur in ternos & externos. Nam Ciceroni & Trapezuntio interna dicuntur, quæ ex ipsa causa ingenio dicentis finguntur. Quæ uerò aliunde adferuntur, ut sunt testimonia, præiudicia, fama, rumores, tormēta, iusiurādum, probationes sunt ἄτεχνοι, id est, inartificiales, nō quidem ob id ꝙ arte tractari non possunt, extenuantur enim aut amplifican-

Argumēta aut ex ipsa quæstione nascuntur, aut sumuntur foris. tur artificio: sed si desunt, à differentibus ea excogitari non possunt. atq; ob id Ciceroni & Trapezūtio extrinsecus hęrere dicuntur. Quemadmodum si Helenā quis longè pulcherrimam esse asserat, ꝙ dei filia, ꝙ per tot discrimina terrę marisq; Paris ad eam rapiendam profectus sit, quòd tot Græcorum principes tot copiis, tot classibus, repetitū uenerint, decennalem obsidionem sustinuerint, artificiales erunt probationes. Ex locis enim causarum & destinatorū qui intrinsecus sunt, hoc est, cum re coniuncti, ducuntur. Quòd si (ut

Inartificialia maiorē uim habent. apud Isocratem est) pulcherrimam esse dicas, quoniam Theseus ita iudicauit, artificiale est, id est, aliunde extra causam assumitur. Habent autē inartificialia illa longè maiorē uim,

præfer

præsertim si magnę autoritatis uirorum aut deorum fuerint testimonia: ut de Socrate, si quòd sapiēs fuit dicere uelis, fortius erit, quoniam ita iudicarit Apollo, quàm si eum philosophiæ cōtinenter operam dedisse dicas. Si in sacris, quòd confitendum sit, efficacius erit, quoniam ita Iacobus Apostolus præcepit, quàm si dicas, hominibus remittebantur peccata, confitebantur igitur. Prolixius hæc recensuimus, quo studio sis aditum qualemcūq; ad dialectices usum patefaceremus. Argumenta igitur omnia aut foris assumūtur, ut, hoc uerum est, dixit enim Marcus Cato: aut in rebus sunt, ut bonus est, quoniam boni parentis filius. *Iacob. 3.*

(NEC te quoniā res est ardua deterreat.) Ab utilitate ac facilitate locorum breuis commendatio est. Summam enim utilitatem dicendi eleganter, ac inueniēdi expeditè cum ea facultate coniunctam, quam dat exercitatio, continent. Vt enim usus legendi lectionem paulatim reddit faciliorem ac emendatiorem, pauloq; post absolutam: sic crebra locorum usurpatio facit, ut illi ipsi loci, qui quæstionibus explicandis aptiores sunt, ultrò sese offerant.

(NAM quemadmodum qui literas sciunt.) Apta similitudo sumpta è literis: Nam ut argumenta omnia, infinitaq; è locis sunt, ita literis nō amplius xxiij. unaquęq; uox continetur. Quinetiam Aristoteles locos argumentorū, seu (ut ipse loquitur) enthymematum ij. Rhetoricorū στοιχεῖα uocat, quo nomine quoq; literas significāt Gręci. Est autem (ut uidetur) hoc simile desumptum ex secundo lib. Ciceronis de Orato. ubi de inueniendo disputatur, quo loco sic Antonius ait: Ac tibi sapienter monenti L. Crasse libenter assentiemur, ut singularū causarū defensiones, quas solent magistri pueris tradere, relinquamus, aperiamus autē ea capita, unde omnis ad omnem causam & orationem disputatio ducitur. Neq; enim quoties uerbum aliquod scribendū est, nobis toties eius uerbi literæ sunt cogitatione conquirendæ, nec quoties dicenda causa est, toties ad causæ seposita argumenta reuolui nos oportet, sed habere certos locos, qui ut literæ ad uerbū scribendum, sic illi ad causam explicandam statim occurrant.

(OMNES igitur loci unde ad syllogismos medium quæritur.) Eisdem locis oratores utuntur, quibus dialectici. Quare qui Rhetorica tractant, hos etiam exponunt: ut

Cicero lib.ij.de Orat.& Fabius lib. v. Aristoteles quoq; lib. secundo. Quòd uerò alios quosdam personarum addunt, & quas circunstantias uocāt, quòd sub iis nominibus argumētum aliquoties inuenitur citius, id factum est. Cæterùm natura ab his, quos antè recensuimus, discreti nō sunt. De qua re latius uideatur Rodolphus circa finem libri secundi.

Medium. (NON enim aliud perfecti, aliud imperfecti syllogismi medium.) Medium dicitur argumentū & instrumentum faciendæ fidei, quoniam duo illa quæ Aristoteles τὰ ἄκρα, id est, extrema uocat, coniungit: estq; semper si syllogismo uti uelis, medius terminus.

(NAM sicut in re parum cognita ratiocinari oportet absolutius.) Si argumentum huiusmodi fuerit quod non satis quale sit (nisi omnibus suis partibus diligenter ac fusè rationibus confirmationibusq; aperiatur) intelligitur, syllogismo *Lib.5.cap.5.* Fabio autore, ubi nefas non est, ut amplissima illa ratiocinatio apud Ciceronē multis partibus tractata, in principio refutationis pro Milone, Quòd si duodecim tabulæ, & cætera. usq; ad eum locum. Est ergo hæc iudices, quam rem Fabius animaduertit libro quinto, capite ultimo.

(SIC in re aperta propositionum altera fastidium parit.) Ad eundem modum Aristoteles secundo Rhetoricorū, Non enim, inquit, sumentem, aut longè, aut omnia oportet colligere. Nam alterum propter prolixitatem obscuritatis est, alterum quoniam ea quę manifesta sunt, dicuntur, nugationis est. Et paulò pòst, Si quid eorū perspicuum fuerit, id dicendū non est: ut ꝙ Milo rectè fecerit, satis erit dicere oratori: quoniam uim illatam repulit. Quòd autem uim à se repellere licet, auditoribus relinquendum est, ex se enim hoc adferunt.

(SEV cùm tribus constet ratiocinatio propositionibus.) Syllogismus imperfectus aut propositione aut assumptione cum cōclusione cōstat. Quod si in antecedēte & consequēte idem fuerit subiectū, deesset propositio maior, sin idem prædicatum, minor. Verū quod Trapezuntius admonet, spectādum esse ex utra potius propositione colligendum sit, mediocris erit iudicii. Qui enim non uidet huius consequentis, Ego hominem non occidi: hoc potius fore antecedens, Quo tempore hic occisus est, ego in prouincia fui: quàm illud, Qui in prouincia fuit, eo die hic cædē facere non potuit.

Vtra propositio omittenda in enthymemate.

Ob id

Ob id hic non tam canone quàm iudicio opus est. Veriorem enim aut certiorem præponendam non perpetuò uerũ erit.

(AT hæc quoniam simplicis conclusionis consequés alterius consequentis fit antecedens.) Recenset obiter eam argumentandi formam, quam Græci σωρείτην καὶ κλίμακα uocant, Latini aceruum & gradationem. Ea est argumentatio, in qua multa sumuntur, ut ex primo inferatur secundum, ex secundo tertium, & ita deinceps, ut quod omnium postremũ est, cum primo coniungatur, seu dum continuò prioris propositionis prædicatum, aut annexum, sequẽtis fit antecedẽs aut subiectum: ut apud Ciceronẽ quinto Tusculanarũ Quęstionum, Atque omne bonum lætabile est: quod autem lęta bile, id prædicandum, quod autem tale, id gloriosum: si gloriosum, certè laudabile: quod autẽ laudabile, profectò etiã honestum: quod bonum, igitur honestum. Vides hic postremum cum primo coniunctum? Fit etiam ubi conclusio non apponitur: ut, Vilius argentum est auro, uirtutibus aurũ. Tradit hanc argumentandi formam Aristoteles in prædicamentis: Quando alterum de altero, & cætera: notus enim locus est. A syllogismo differt, quòd hic si perfectus est, tribus partibus tantum perficitur, gradatio certo numero nõ astringitur. Numeratur etiam inter ornamenta sententiarũ huic argumentationi non multũ absimilis: ut, Africano uirtus gloriam, gloria æmulos, æmuli mortem pepererunt. Quanquã autem paulò antè huiusmodi argumentationes σωρείτας etiã uocari diximus: meminerit tamen puer apud artium scriptores, σωρεῖν argumentationem esse superiori nonnihil diuersam, uidelicet cùm paulatim addendo aut minuendo nusquã sisto, sed probo nec effici quicquam, nec destrui. De hoc sic est apud Ciceronem in secunda Quæstione Academica scriptum: Genus illud minimè in philosophia probari solet, cùm aliquid minutatim aut gradatim additur, aut demitur: soritas hos uocant, qui aceruum efficiũt uno grano addito. Huius exemplum erit si quæratur, Septem multáne an pauca sunt? Si pauca dixeris, multáne erunt, si unum addideris? Deinde si alterum, si tertium, & ita deinceps ad quemuis alium numerum. Quòd si multa dixeris septem, paucáne erunt si unum detraxero? & sic deinceps, ut nec quantũuis magnum numerum multa, nec quemlibet paruum, pauca esse dixeris.

σωρείτης
κλίμαξ.
Gradatio.

Sic quantum addendum aut demēdum sit, ut diues, pauper, clarus, obscurus, dicatur aliquis, aut multa pauca, magna parua, longa breuia, lata angusta, quando dicantnr, certum non habes. Captiosa igitur argumentatio σωρείτης est, quemadmodum Crocodilites, Ceratine, Dilemma, Antistrephon, & id genus reliquæ captiunculæ.

(QVOS incidit explicita oratio.) Perstat in mataphora: Neruos enim dixit quibus incidit, aptè redditur. Docet uerò Cicero hanc eandem sententiam libro primo Rhetoricorū, & de Oratore libro secundo, post tractationem locorum.

(VT in epistola ad Plancum, Senatus non est, &c.) Locus est libro x. epistolarum, in ea, quæ incipit: Etsi Reipublicæ causa. Meminimus autē suprà enthymemata sæpe sic efferri, ut quod probandum sit, primo ponatur loco, deinde subiungatur ratio: quod si inuertas, forma erit simplicis conclusionis: ut, mirabiliter populus uniuersus, & cætera. Igitur Senatus non est tibi amicior quàm tota ciuitas. Verùm nisi pro confesso haberetur à populo Romano illū amari, qui Rempub. liberare uult & potest, dein, Plancum eum esse uirum, propositioni non uideretur satis accommodata esse ratio.

(SED inuenta implicitè atq; inuolutè conscripta.) Inuenta seu argumenta tacitè aliquoties ac breuissimè orationibus inseruntur, aliquando uerò argumentationes expolitione, quo argumenti uis fusius tractata cerni queat, omnibus suis partibus latissimè explicantur: ut, Turcarum irruptiones semper timeamus, quando incolumes sunt, oportet: aut fractis eorum copiis summa ui eos è confinio profligare debemus. At motum Barbarorum hominum cùm possumus, non sustollere longè stultissimum est. Quare, nisi stulti esse uelimus, extremis nostrorū uiribus semel exterminabimus gentem tam Barbaram. Hoc sic simpliciter eloquemur: Quoniam perpetuum impetum eorum sustinendū non putamus, aduersum eos pugnemus: aut breuius, Aduersus Turcas, ne amplius nobis timori sint, pugnandum est.

(QVOD tamē in omnibus.) Clausulam hanc superesse opinor, aut aliud quippiam deesse. Siquidem cum eo quod sequitur non satis quadrat. Vniuersa enim, inquit, in quibus aliqua probationis uis, ad syllogismū prędicatorium possunt reduci, quòd ea argumentationum dialecticarum regula sit.

Qua

Qua de re plura uide apud hunc ipſum lib.iij.Rhetorices.

NON ergo feci.)Hoc ad ſimplicem concluſionem, quæ una ſententia compræhenditur,non pertinet,ſed additur ex planandi cauſa. LATOM.

(COMPOSITE hoc modo.) Non re,ſed uerbis, quæ repetuntur inſtandi cauſa.Ergo aut ſimpliciter cõcluditur, aut iterata ſententia:quod ad oratores pertinet.

(NEC ſolùm enthymematicum.) Id eſt, ſolertem inueniendis argumentis, quem uulgò diſcurſiuum uocant.

(NAM quemadmodum.) Similitudo ex Cicer.ij.de Orat.

(OMNES igitur loci unde ad ſyllogiſmos medium quæritur.)Loci ſunt ſyllogiſmorum & enthymematum communes,ſed frequentius enthymematibus utimur,ſyllogiſmo autem cùm res exactiorem probationem requirit,ut apud philoſophos , quia omnia certius & enucleatius explicant,cùm interim rhetores ſint probabilibus contenti,& quæ per ſe intelliguntur, negligant.Item enthymemata ex ſolo loco uim habent,ſyllogiſmus autem ex ſtructura: quare & loci enthymemati potius,quàm ſyllogiſmo tribuuntur.

(MEDIVM terminum.) Si medium in antecedente cum prædicato concluſionis iunctũ fuerit,enthymema eſt ex maiori propoſitione ſyllogiſmi,ſin cum ſubiecto,ex minore:ut, Inſidiator iure occiditur, Ergo Clodius iure cæſus eſt. Item, Clodius inſidiator fuit,Eſt ergo iure occiſus.

(ILLVD apprimè tenendum.) Neceſſarium eſt enthymema,in quo oppoſitum conſequẽtis repugnat antecedenti,ſi non repugnat,credibile eſt tantum.Item quicquid ſequitur ad conſequens bonæ conſequẽtiæ,ſequitur ad eius antecedens,quam argumentationem Soriten uocant.

DE DEFINITIONE ET DIVISIONE.



VNC de definitione ac diuiſione coniunctim pauca dicamus. Nam ita ſe habent,ut altera alterius egere uideatur. Nec enim niſi qui recta diſtributione uſus eſt, definire ſe unquam intelliget, nec unquam rectè diſtribuere poteris,

nisi quid sit quod distribuendum est, conscripseris. Definitio est coactæ in se atque complicatæ rei breuis, atque absoluta explicatio. Definitionum quatuor sunt genera: Substantiale: describens: per partitionem: per diuisionem. Nam qui plura faciunt, ea cõnectunt quæ aut ad hæc facilè reducuntur, aut leuiora sunt quàm ut definitiones appellari possint. Substantialis definitio est oratio quæ id quod definitur, quid sit explicat, breuiter, & absolutè complectitur. Per partitionem definitio, est oratio quæ per enumerationem partium breuiter & absolutè aliquod totum ostendit. Per diuisionem definitio, est oratio quæ specierum distunctione breui ac absoluta genus aliquod ostendit. Diuisio, alicuius in partes suas est distributio: eius duo sunt genera: Vnum, quod per se rem aliquam distribuit: alterum, quod per accidens partitur. Prioris rursum tres sunt species. Generis in species, quæ propriè dicitur diuisio: ut animal hoc rationale, illud irrationale: differentias etiam formæ speciei'q; nomine complectimur. Totius in partes, quam partitionem propriè possumus nuncupare, ut domus in fundamentum, in parietes, & tectum. Voces in significationes, quæ distinctio appellatur, ut canis uel piscis, uel terrestre animal, uel sydus. Posterioris itidem tres sunt modi, quo substantiam quæ subijcitur, per accidentia partimur, quæ subiecti in accidentia diuisio dicitur, ut hominum alij pij, alij impij. Quo accidentia per substantias, quam accidentis in subiecta nominamus, ut omnium quæ expetuntur alia in corpore, & alia in anima sita sunt. Extremus, accidẽtis est in accidentia distributio: ut, candida omnia uel dura sunt, uelut lapides albißimi, uel liquentia, ut nix. Hæc accidentis in accidẽtia diuisio sola in alterutrũ separatur: ut eorũ quæ dura sunt, quædam alba sunt: ut, lapis Parius: quædam nigra, ut

Definitionũ quatuor genera.

Duo genera diuisionum.

Diuisio per accidens.

ut terebinthus. Et rursus eorum quæ nigra sunt, alia dura, ut ebenus: alia liquentia, ut pix. His ita dictis communiter, illud mihi præcipiendum uidetur, diuisionem generis, & eam quæ secundum accidens est, in opposita semper fieri: et cùm oppositionis species quatuor sint, contraria commodissime omnium adhiberi: contradictoria etiam, et quæ per priuationem et habitum dicuntur, non esse abijcienda: quæ uerò relatiuè opponuntur, si rem per se diuidamus, nullum habere locum: si per accidens, non omnino negligenda. Dicimus autem homines alios dominari, alios seruire. Item omnem diuisionem (ea excepta, quæ uocem in significationes distribuit) nihil oportere plus minúsue continere. *Canon diuisionis.*

NVNC de definitione ac diuisione coniunctim pauca dicamus.) Plato uniuersam dialecticam partitur in diuisiuam, definitiuam, & analyticen, id est, resolutoriam, quarum duæ priores ad thematis simplicis, ultima ad compositi thematis explicationem pertinēt. Est autem diuidere ac definire uniuscuiusque doctoris in sua professione. Nam quid planum aut solidum, seu quid circulus, axis, diagonus, geometra dicet: quid absis, apogium, aspectus trigonus, aut tetragonus, aut quid Pleiades, Hyades, Arcturusúe sint, nemo nisi astronomus: Sic Scriptor moralis, quid uirtus, quid uitium. Verùm dialectici tradere canones ac leges, quibus oportet omnem definitionem, ac diuisionem perfici: locos etiam ostendere unde & diuisiones & definitiones petendæ sunt. Vt si quid uoluptas sit, quæratur, monebit dialecticus hic primo loco generalius quiddam quærendum, genus nimirum, deinde aliud quo res genere similes, sed specie differentes secernantur. Quæ uerò illa sint, non est huius artificis scrupulose perquirere. NEOM. *Definire cuius sit artificis.*

(DEFINITIO est coactæ in se rei atque complicatæ absoluta explicatio.) Metaphora est in uocabulis Coactæ ac Complicatæ. Nam quod definitur, in se conuolutum & conclusum, una tantū uoce ostenditur. Quòd si oratione ea res, ueluti uestis aut pugnus complicatus aperiatur, definiri dicitur: ut idem est homo, & animal intellectuale, mortale, *Coactum. Complicatum.*

ſcientiæ rationisq; capax: ſed illud ueluti manus in pugnum contracta, hoc ut ea quæ in digitos diducta eſt.

(NAM qui plura faciunt, ea connectunt.) Enumerant Boëtius & Georgius Valla, Victorinus, & alii nonnulli definitionum formas longè plures, in quibus ſi qua ſunt quæ ad noſtrum inſtitutum facere uidentur, non negligimus.

(SVBSTANTIALIS definitio eſt oratio quæ id quod definitur.) Hanc οὐσιώδη Græci, Scholæ eſſentialem uocant. Legebatur autem hic Definitum, abſque ſenſu, nos Definitur, rectius legendum putamus. Sic enim à Cicerone dicitur: Definitio eſt oratio, quæ id quod definitur, quid ſit, explicat. Vocat autem Ariſtoteles τὸ τί ἐστι perfectam rei eſſentiam, quæ genere ac differentia explicatur. Latinorum nonnulli quidditatem uocant, quorum eſt Hermolaus Barbarus.

(PER partitionem definitio eſt oratio.) De duabus his definitionum formis uide Ciceronem ad Trebatium. Differunt autem diuiſio & partitio, quod ſpecies & partes, integrum & genus. Sunt uerò partes ueluti membra, ut caput, humeri, brachia, manus, pectus, latera, crura, pedes. Species autem ſunt (ut apud Ciceronem eſt) formæ quas εἴδη Ariſtoteles, & Plato ἰδέας uocat, ut iuſtitia, prudentia, ſpecies uirtutis ſunt. Confunduntur tamen ſpecierum & partium nomina, ac proinde diuiſionis & partitionis.

Partes. *Species.*

(VOCIS in ſignificationes.) Hanc partiendi formam Rodolphus non ſatis bene diuiſionis uocabulo notari ſcribit, quòd ſcilicet ineptum ſit, ſi dicatur: Taurorum alius mons, alius animal, alius ſydus. Cæterùm Ciceronem aliquoties diuiſionis uocabulum uſurpaſſe uidebis, ſi quando uocis cuiuſpiam ſignificata enumerat. Eſt & apud Platonem diuiſio in res ſignificatas, quod & Alcinons Platonicus annotauit.

(QVO ſubſtantiam quæ ſubiicitur per accidentia partimur.) Huiuſmodi ſunt ferè omnes diuiſiones, quas Rodolphus Agricola ex pluribus locis dialecticis quærendas docet. Secundus modus eſt, quo accidens quodpiam per ſubiecta diuiditur, cuius etiam Rodolphus meminit: Et adiacentia, inquit, per ſubiecta, ut feritas, alia auis, alia ſerpentis, alia

alia reliquarum belluarum. Apud philosophos non infrequens est hoc diuidendi genus.

(HAEC accidentis in accidentia diuisio, sola in alterum commutatur.) Ex Boëtio id sumptum est: Sic enim ait in libro de diuisione: Sed huiusmodi diuisio uicissim semper in altera permutatur. Possumus enim docere: Eorum quæ dura sunt, alia nigra sunt, alia alba. Et rursum, eorum quæ liquida sunt, alia alba, alia nigra. Significatur autem posse in hoc genere diuisionis diuisum & illius contrarium per easdem differētias diuidi: ut si album per durū ac molle sit diuisum, poterit & nigrum. Deinde singula membra in diuisum ac illius oppositum rursum posse commutari: ut si durum per album & nigrum diuisum sit, tam album quàm nigrum in durum & molle possunt diuidi.

(QVAEDAM nigra, ut terebinthus.) Terebinthi meminit Plinius libro decimotertio, capite sexto. Arbor est ligni nigri eximiique splendoris & fidelis ad uetustatem. Ebeni autem meminit idem libro duodecimo, capite quarto. Est & huius materies solidissima, ut uel igne absumi uix queat, splendoris nigri, & sine arte protinus iucundi. Nigrum autem habere solam Indiam testatus est poëta. Sola (inquit) India nigrum Fert ebenum. *Terebinthus.* *Ebenus.*

(QVAEDAM alba sunt, ut lapis Parius.) Marmor intelligit ex Paro insula, quæ una Cycladum est circa Delum & Siphnum, autore Plinio & Ptolemęo. Laudatur ex ea marmor, quod alio nomine M. Varro lychniten uocatum scribit: quòd ad lucernas in cuniculis cæderetur. *Parium marmor.*

VErùm cùm uocem in sua significata distinguimus, ea complecti nonnunquam sufficiet, quæ ad rem nostram faciunt. Est autem omnis distinctio duplex: Nam aut unius ac simplicis est termini, quæ distinctio æquiuocì dicitur: aut orationis, quam ἀμφιβολογίαν Græci, nos ambiguum dicimus, ut, Aio te Aeacida Romanos uincere posse. ambiguum adiectione termini, uel mutatione orationis, aperiendum. Aequiuocum si institutione æquiuocum est, *Distinctio.* *Aequiuocum.*

ad

ad grammaticos confugiendum. Diximus autem æquiuocum, quod nec accentu, nec aspiratione, nec genere, nec orthographia, nec numero distingui potest. Sin modis quibusdam ad multiplices uariasq; res terminus applicari potest, aut ex se solo, aut ex adiũcto potius huiusmodi uim habere dicitur. Primi distinctio, non unius doctrinæ: Multa enim aliter physicus, aliter primus philosophus, aliter dialecticus, aliter orator exponit. Quamobrem insanire mihi uidentur nonnulli, qui adeò rudes atque indocti sunt, ut audeant asserere dialecticum æquiuocationem effugere non posse, nisi singulorum uerborum uim ac potestatem optimè nouerit, quæ grammaticis traditur: quam si apprime tenuerit, æquiuocis ipsum implicari non posse. Raro enim aut penè nunquam multiplici significatione uerbi dialecticus aut decipit, aut decipitur. Modi ergo quidam sunt qui etiam eos ipsos qui ratiocinantur, fallunt: atque eos distinguere, unius non esse disciplinæ, Aristoteles ostendit, qui multa in physicis ut naturalis, multa in prima philosophia ut metaphysicus, multa in ethicis ut moralis, non nulla in dialecticis ut logicus distinxit. Verum ut quale sit quod diximus pateat, exemplis utamur. Infinitum dicimus, cuius terminum inuenire non possumus: unum ergo significat: sed tamen alio quodam modo continuum, alio discretum, infinitũ dicimus. Et hoc quidem appositione, illud diuisione infinitum asserit Aristoteles. Tempus autem utroque modo (quamuis si quis continuum non diuisionis termino, sed magnitudinis infinitum fingit) non diuisionis solùm, uerùm etiam appositione infinitum dici posset. Item, unum, in physicis quidem Aristoteles cõtinuò dicit, ut linea una, indiuisibili, ut punctus unus ratione, ut uinum, uappa. In quinto primæ philosophiæ secundum se, & secundum accidens

Modi significandi.

Infinitum.

cidens unum distinguit. Eiusq; *quod unũ secundũ se est, multos subijcit modos, ac dialectici numero, specie, genere (ut Cicero, homo, animal) unũ dici perspexerũt. Ita cùm unũ sit, quod à cæteris seiunctũ est, ipsum secundũ unũ quod indiuisibile est, hac una eademq; significatione semper dicitur, modus uariatur.* Alterum modum multiplicis diximus, *cum nõ ex se, sed ex adiuncto terminus adeò uarijs atque multiplicibus modis sumitur, ut non eandem potestatem, sed aliam atque aliam habere uideatur, ut homo cùm dico, quid significet, uides, pro quo accipiatur, ignoras. Si, disputat, aut si, species est, adiunxero, aliter atque aliter accepisti. Has suppositiones iuniores appellant. Quas si quis penitus tenere cupiat, dialecticos qui ea de re multa & protensa uolumina conscripserunt, diligenter euoluat. Nobis solum admonuisse, terminorum acceptiones ex adiuncto mutari, sufficiat. Nam eius rei diligentior doctrina & longior est, & ad usum oratorum affert penè nihil. Viderint etiam ne complura eiusmodi non ad usum, sed abusum inuecta sint. Quòd si quis putauerit in statu legitimo per ambiguũ ἀμφιβολογίαν huiusmodi posse incidere, cum id usu euenerit, dialecticos consulat: nos quoniam raró ac penè nunquam accidere putamus, tam longam atq; obscuram doctrinam prætermisimus. Et hæc quæ diximus eò tendunt, ne tu etiam sicuti omniũ rerum ignari, ad dialecticas ἀμφιβολογίας. & æquiuocationes, grammaticũ putes multa posse conferre.*

NAM aut unius est ac simplicis termini.) Est ubi singulæ uoces ambiguitatem faciunt: quæ Græcis ὁμωνυμία dicitur, recentiores æquiuocationem uocant, quando rerum aut personarum plurium, una est appellatio: ut, taurus bouis, & in Cicilia montis, item syderis quod inter duodecim signiferi orbis signa numeratur secundum, uere cum sole exoriens. Sic Censorius, & ille quoque qui se Vticæ interfecit, dictus est Cato. Est etiã ubi dictiones alio sensu integræ sunt, *Aequiuocatio.*

alio

alio diuisæ, uelut ingenua, coruinum, armamentum. Apud Aristotelem in Elenchis diuisionis & compositionis ambiguitas dicitur. Huiusce uocabuli discretionem Rodolphus enumerationem uocat, Boëtius partitionem æquiuocationis.

Amphibologia. *Libr.7. cap.10.* (AVT orationis, quam ἀμφιβολογίαν Græci, nos ambiguum dicimus.) Nascitur etiam ambiguitas ex integro orationis contextu, quæ ἀμφιβολογία à Cicerone, ab Aristotele ἀμφιβολία nominatur, quod Fabius ambiguum trāsfert. Fit autem multis modis: aut per casus, cùm infinitum utrinque accusatiuum habet, ut, Audio Demeam percussisse Lachetem: aut uocum dubia disiunctione, ut, Quinquaginta ubi erant centum inde occidit Achilles. Vide Fabium libro septimo, & Diomedem libro secundo de figuris.

Versus Apollinis. (DICO te Aeacida Romanos uincere, &c.) Ennii uersus est, quo finxit Apollinem Pyrrho regi Epirotarum Delphis responsa dedisse. Cæterū Plutarchus diligens in primis scriptor, huius non meminit, negaturq; à Cicerone libro ij. de Diuinatione, & quod Apollo Græcè, non Latinè locutus esset, & quòd Pyrrhi temporibus desiisset uersus facere. Est autem Aeacida uocatiuus Græcorum consuetudine, à nominatiuo Aeacides, quod Pyrrhi patris nomen fuit.

Amphibologiæ solutio. (AMBIGVVM adiectione termini, uel mutatione orationis aperiendum est.) Soluitur amphibologia, termini adiectione, quando dubitatur utri antecedentiū duorum sermo subiunctus sit: ut, Volo hęres meus det uxori meę aurū quod elegerit. Dubium est, an uxor, an hæres aurum eliget: adiectione soluitur, Volo ꝙ hęres det uxori aurum quod ipse elegerit, aut ipsa. Mutatione casuū soluitur, dum ex duobus accusatiuis alter in ablatiuū uertitur. Ferūt Demosthenē eiecisse Aeschinem. Soluitur, Aeschinem à Demosthene pulsum aiunt. Tollitur etiam orationis ambiguitas distinctione scripturæ, uel mora pronūtiationis, ut, Moriturus iussit poni statuam aureā hastam habentē. distinctione sublatum dubium, Iussit poni statuā, auream hastam habentē. Vide Aristotelem in Elenchis & Fabium in statu legitimo per ambiguum.

Aequiuocū duplex. (AEQVIVOCVM si institutione æquiuocū est, ad grammaticos confugiendum est.) Dicitur æquiuocum ex institutione, quod plura significat, non similitudine quadā aut metaphora: ut homo pictum & uerum hominem significat, sed quòd

quòd iuxtà à rebus diuersis absque ulla cognatione cōuenit, quomodo gallus hominem & auem & instrumenutum suto rium significat, genere fœminino. Hoc in scholis à casu, illud à consilio æquiuocum dicunt.

(DICIMVS autem æquiuocum, quod nec accentu.) Si uox quæpiam in multis significatis adeò sui similis sit, ut nulla nota discerni queat, ea æquiuoca est, hoc est, ut nec accentu distingui queat, sub quo tempus & tonum cōpræhende: ut mâlum quod pomum, & malum bono cōtrarium, non est æquiuocum: tempore enim differunt. Sic êdo, & edo. Item quod tono differt, æquiuocum non est, ut uère & uerè, sic pône uerbum, & aduerbium poné.

(NEC aspiratione.) Differt aspiratione ara ab hara, ora ab hora.

(NEC genere.) Quare ficus etsi morbum & fructum significet, non tamē æquiuocum est, genere enim differt, ut illud:

Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci,
Dicemus ficos, Cæciliane, tuos.

Sub genere etiam compræhende diuersitate partium orationis, ut amor uerbum & nomen. Sic mane temporis aduerbium, & imperatiui modi uerbum.

(NEC orthographia.) Orthographia distinguitur quæstus per diphthongon à quæro, & questus e simplo, à queror. Item situs, citus, & scitus.

(NEC numero.) Vt ædes singulariter pro sacro loco, & pluraliter pro prophano. Sub numero uerò comprehendere licet casum, ut tribus datiui casus & ablatiui, à nominatiuo tria, & tribus nominatiui casus. Etiam declinationē, ut opus operis, & Opus Opuntis: anus uetula, quartę, & corporis ob scœna pars, secundæ inflexionis. Horum igitur nihil est ὁμωνυμὸν, siquidem semper nota aliqua pro diuersis significatis distinguitur.

(SIN modis quibusdam ad uarias & multiplices.) Est aliud homonymiæ genus, cùm uocabulum non institutione multa significat, sed ductu quodam in significationem affinem transfertur: ut plerasque uoces aliter sumunt dialectici, aliter physici, aliter mathematici, aliter medici, aliter alii. Quo sensu à Fabio dictum est, nullum esse uerbum, quin philosophis multiplex esse uideatur. Fit autem hoc bifariam, aut

aut ex se solo: ut uirtus à grammatico accipitur, quod nomē sit generis fœminini, declinationis tertiæ, id significās quod Græcis ἀρετή. A dialectico uerò quod genus sit aut species, subiectum aut prædicatum. Alter modus, cùm ex adiuncto diuersitas oritur, ut si dicas, uirtus expetenda est, uirtus qualitas est, aut genus: aliter ac aliter uocem accepisti. Quæ acceptiones uulgò suppositiones dicuntur.

Numerus finitus. *Magnitudo infinita.*

(ET hoc quidem appositione, illud diuisione.) Quemadmodum in numerorum aceruatione nusquam sistimus: ubi enim ad decadas peruenerimus, semper numerum reflectimus, idque infinities, hoc est, toties non fit, quin sæpius fieri possit: sic quoque in magnitudine seu quantitate continua diuidenda nusquam consistimus. Verùm illud mathematicorum suo quodam iure fit, & quidem imaginatione: ut, circulum cuius ambitus quamuis uix trium pedum est, partiuntur in partes ccclx. dein singulas in lx. quæ minuta prima dicuntur, & horum unumquodque iterum in lx. quæ minuta secunda uocantur: sic deinceps diuisione sexagenaria, secundum unitatem in infinitum crescentem.

Tempus infinitum.

(TEMPVS aut utroque modo.) Tempus extensione seu duratione infinitum dicitur his, quibus mundus nec initium cepit, nec finem habiturus est: qua ratione affinitatem habet cum numero. Semper enim Solis & reliquorum astrorū cōuersiones rediterātur, ac præteritis adduntur, ut hora horę: dies diei, annus, anno cōtinuo succedit. Itaq; tēpus in infinitum dicit᷑ crescere successione, ut numerus additione. Dicitur etiam infinitum diuisione. Annum enim in mēses, & hos in dies, dies in horas diuidimus, & has in minuta: in quibus rursum in infinitum progredimur diuisione sexagenaria per unitatem crescente, ut suprà diximus.

Vnum.

(ITEM unum in physicis quidem Aristoteles continuo dicit.) Aristotelis uerba primo libro naturalis auscultationis sic habent: λέγεται δ' ἕν, ἢ τὸ συνεχὲς ἢ τὸ ἀδιαίρετον ἢ ὧν ὁ λόγος ὁ αὐτὸς, καὶ εἷς ὁ τοῦ τί ἦν εἶναι, ὥσπερ μέθυ καὶ οἶνος. hoc est, unum dicitur partim continuò, partim indiuisibili: partim ea quorum una ratio unumq́ue esse est, ut uinum merum. Cæterùm ratione unum dicimus synonyma, aut duo eiusdem rei nomina, ut, uestis, indumentū: Marcus Tullius

Tullius:homines,mortales.

(IN quinto primæ philoſophiæ ſecundum ſe,&c.)Locus eſt in uulgata uoluminum ſectione libro quinto, in uetuſtiori,libro quarto, habent autem uerba eius in hunc modum: ἓν λέγεται τὸ μὲν κατὰ συμβεβηκός, οἷον κόρισκος καὶ τὸ μουσικόν. Et paulò pòſt,τῶν καθ' ἑαυτὰ ἓν λεγομένων τὰ μὲν λέγεται συνεχῆ εἶναι, οἷον φάκελος δεσμῷ. id eſt, eorum quæ per ſe unum dicuntur,hoc quidem continuò,ut uinculo faſcis.

(AC dialectici numero,ſpecie,genere.)Dialectici uocant **Idem.** illud non unum, ſed idem, nec eſt apud Ariſtotelem primo Topicorũ ἓν,ſed ταὐτόν.Verba eius ſi quis requirat,hæc ſunt, δόξειε δ' ἂν τὸ ταὐτὸν ὡς τύπῳ λαβεῖν τριχῇ διαιρεῖσθαι, ἢ γὰρ ἀριθμῷ ἢ εἴδει, ἢ γένει. hoc eſt, uidetur uerò idem ut exemplo dicatur,diuiſum tripliciter,aut enim numero,aut ſpecie, aut genere idem dicitur.

(HAS ſuppoſitiones iuniores appellant.)Suppoſitiones, uocum acceptiones,ut cùm dicitur, uirtus hominem beatũ efficit,aliud ſignificat, quàm ſi dicas, Virtute Scipio hoſtem ſuperauit.Hic certa uirtutis ſpecies intelligitur, ubi pro toto genere accipitur,& ut iſti loquuntur, aliter & aliter terminus ſupponit.Definiunt autem in hunc modum: Suppoſitio eſt acceptio termini in propoſitione, pro aliquo uel aliquibus,de quo uel de quibus, huiuſmodi terminus uerificatur mediante copula ſuæ propoſitionis.

(QVOD ſi quis putauerit in ſtatu legitimo.) Status ſeu cõſtitutio,aut στάσις Græcè dicitur, id quod orator ſibi potiſsimum probandũ cõſtituit,ſeu quo probato,ſtatur,id eſt, cauſa perfecta eſt.Naſcitur autẽ ex intẽtione accuſatoris, & depulſione defenſoris:ut,Occidiſti Aiacem Vlyſſes,intẽtio eſt: quod ſi neget,nõ occidi,oritur quæſtio,an Vlyſſes occiderit Aiacem:qua probata in hanc uel illam partem cauſa peracta eſt.Quare eadem ſtatum ſeu conſtitutionem continet. Sunt autem ſtatus uarii.Nam ſi factum negatur, coniecturalis dicitur,ut id quod ſuperius poſuimus,& apud Martialem:

Sed lis eſt mihi de tribus capellis:
Vicini queror has abeſſe furto,
Hoc iudex ſibi poſtulat probari.

Sin iure aut iniuria factum probatur, iudicialis dicitur: ut, occideritne Clodium Milo iure. Eſt etiam ubi lis naſcitur

Constitutio legitima per ambiguum. ex scripto, quæ constitutio legitima dicitur, cuius hoc loco Trapezūtius meminit. Fit autem quatuor modis, inter quos unus qui status dicitur legitimus per ambiguum, cùm scriptū uidelicet ambiguitatem, aut homonymiam continet; ut legauit quidam amico suo taurum, post mortem ille petit seruū cui Taurus nomen erat, hęres bouem legatum dicit. Interdū idem fit ex amphibologia: ut, hæres meus uxori meæ centū argenteorum uasorum pondo quæ uelit dato. Post mortem mater à filio petit magnificè cælata. Ille dicit se debere quæ ipse uolet, non quæ ipsa. Verùm hæc cōtrouersia tantùm nascitur ex amphibologia, aut synonymia: ferè nunquam ex ea quæ ex his suppositionibus, reliquisq; uocum argutiis est. Quare ad hāc constitutionē suppositionū, tractatus, qui de suppositione materiali, personali confusa, propria, naturali, accidētali: itē de copulationibus, significationibus, restrictionibus, aliisq; uocū portentis inscribūtur, nihil adferunt.

(TAM longam atq; obscuram doctrinā prætermisimus.) Vide autorem ad Herennium libro secundo de constitutione coniecturali, quo loco acri oratione has sophisticarū nugas repræhendit.

Diuisio
- Per se
  - Generis.
  - Totius.
  - Vocis.
- Per accidens
  - Subiecti in accidentia.
  - Accidentis in subiecta.
  - Accidentis in accidentia.

LATOM. (AEQVIVOCVM.) Aequiuocum duplex est, natura & necessitate. Natura, cùm ex prima impositione multa significat. Necessitate, cùm uox aliò atq; aliò deflectitur ex significandi commoditate. quod fit bifariam, per se, & ex adiūcto. Per se, cùm uox ita uariatur, ut aliud atq; aliud in diuersis artibus significet, ut genus, locus, propositio, subiectū. Itē unū infinitum, uacuum. Ex adiuncto, cùm uox in complexu sententiæ ad certam significationem astringitur, quam recentiores suppositionē uocant, ut cùm dico homo est mortalis, & homo est terminus communis species animalis: aliter homo in priori sententia, aliter in posteriori accipitur.

(ACCENTVS.) Vt palus pro palude & stipite.

(ASPIRATIONE.) Vt hara & ara

Genere

(GENERE.) Vt cupido, pro deo, & pro cupiditate.
(ORTHOGRAPHIA.) Vt charitas & caritas, carum & garum.

Nunc quoniam de uocis significatione diximus, pauca de partitione totius etiam generis disseramus: nam cæterorum uel ex ijs quæ dicta iam sunt, uel ex ijs quæ dicentur, apertißimè ratio constabit. Totum igitur quatuor modis dicitur: Specie, continuo, uniuersali, uirtute ac potestate. Totum specie cùm partimur, in substantiales partes partimur. Substantiales partes sunt, quibus uniuscuiusque substantia primò constat, ut materia & forma. Hoc modo dicimus hominem anima & corpore constare. Totum continuum in partes semper integrantes scindimus. Integrantes partes dicimus, quæ totum ita cõponunt ut non ad formam, sed ad materiam eius reduci uideantur. Harum aliæ similes, aliæ dißimiles. Similes dicuntur, quæ sunt eiusdem rationis, ut caro, ossa, nerui, cæteraq́; quibus animalium corpora componuntur. Dißimiles, quæ non sunt eiusdem rationis, ut homo in caput, thoracem, manus & pedes partitur. In partitione huiusmodi, præter ea quæ de omni diuisione communiter diximus, danda est opera, ne partes partium commisceamus, nam qui hominem in pedes, thoracem, caput, brachia, manus & digitos partitur: aut, cùm dixit caput, oculos, aures, cæterásque eiusmodi addit particulas, omnia confundit. Totum uniuersale in indiuidua discerpitur. Postremum est totum potestate: Id in uirtutes ac potestates scinditur, ut anima in uegetantem, sensibilem, rationalem. Non enim generis in species uel differentias hæc distributio est: intermistæ nanque sunt species semper ac differentiæ: nec cum partibus suis continuum ullo modo prædicari potest. Nec est

Totũ quatuor modis dicitur.

Partes.

rei uniuersalis in indiuidua, uel quoniam potestates ipsæ genera sunt, non indiuidua, uel quoniam in indiuidua æqualiter uniuersale descendit: uerùm de totius dissepartione satis dictum est.

NEOMAG.

Totum specie.

TOTVM igitur quatuor modis dicitur, specie, cõtinuo.) Specie totum dicitur, quod materia & forma constat; ut homo, arbor, frutex, quæ partimur in formam & materiã, ut si arboris una pars dicatur lignũ, altera uita: & hominis, aliud corpus, aliud anima. Specie autem totum dicitur ob id quòd genus pro materia est, differẽtia uice formæ, è quibus omnis species constituitur.

Totum continuum.

(TOTVM continuum in partes semper integrantes scindimus.) Totum continuum dicitur quod membris constat, quorum unumquodq; auget & ad integri perfectionẽ facit, ut si orationem in exordium, narrationem, cõtentionem, & epilogum, diuidamus: aut hominem in caput, brachia, manus, latera, pedes, &c. Harum partium quædam similes sunt, quas Greci ὁμογενῆς & ὁμοιομερῆς appellant, Latini similares aut cognatas, non quidem ꝙ inter sese similes sint huiusmodi partes, ut nerui, caro, ossa: sed singulatũ partes si iterũ secentur, similes sunt, nec alia re quàm magnitudine differunt: ut singulæ partes ossis sunt os, partes ligni lignum, lapidis lapis. Alii uerò quas ἑτερογενῆς, quarũ partes si secundò diuidantur, non tantùm magnitudine differũt, sed figura, nec de his integrũ prædicari potest, ut capitis partes singulæ caput nõ sunt, nec brachii brachium. Totum igitur continuum bifariam partiri possumus, in similares partes, ut si hominem in carnem, ossa, neruos, sanguinem, cutem, partiamur: aut dissimilares, ut si per caput, humeros, brachia, pectus, pedes, diuisum intelligamus. Sic arboris alia pars frondes, rami, trũcus, radix: & arboris aliud lignum, aliud cortex, &c.

Partes duplices.

(DANDA est opera ne partium partes cõmisceamus.) Membra partim turbato ordine, partim multitudine confundere, nõ diuidere est (ut Ciceronis uerbis utar) sed frangere. Decorus enim in rebus ordo seruãdus est, quemadmodum Plinius in historia membrorum animalium, à capite incœpit. Partium uerò partes recensendæ non sunt in eadem diuisione, in qua præcipuæ partes enumerantur. Nam qui terram

in

in continentem,in insulas & peninsulas diuidit, ridiculè hic addit Asiam aut Africam. Sed noua partitione opus est, qua has explicemus, quæ subdiuisio uulgò dicitur, ut continens terra in Europam, Asiam, & Africam diuiditur: quarum singulas iterum (noua partitione facta) in alias minores exponere licebit. Quam partiendi rationem obseruant etiam rhetores: ut Cicer. de laudib. Pompeii primũ tria illa recenset de genere belli, de magnitudine, de deligẽdo imperatore, quod postremũ iterum alia diuisione in quatuor membra diuidit.

(TOTVM uniuersale in indiuidua discerpitur.) Vniuersale totum dicitur autore Boëtio, quod singularibus constat in unum collectis: ut homo ex Cicerone, Catone, Antonio, cæterisq; indiuiduis efficitur. Quare si dicatur hominum alii Græci, alii Romani, alii Barbari, partitio erit totius uniuersalis in partes. Verùm Rodolphus hoc genus enumerandi rectius diuisioné uocauerit, quòd infima species si indiuiduis comparetur, generis nomen obtinet. *Totum uniuersale.*

(POSTREMVM est totum potestate.) Desiderabantur hæc uerba in omnibus codicibus, quæ si superesse cõtendas, pronomen id, referatur necesse est ad indiuiduum: cui sensui ea, quæ sequuntur, planè repugnant. *Totum potestate.*

Generis autem in proximas species fiat diuisio: nam qui dicit, substantiæ aliud animatum, aliud inanimatum, cùm non in proximas differentias partitus sit, non rectè diuidit: nam etsi tam animatum, quàm inanimatum substantia est, non tamen in hæc primò, sed in corpus & incorporeum substantia scinditur. Deinde corpus in illa, & corpus animatum per sensibile ac insensibile, eoq; modo usque in specialißimas species. Primùm igitur diligenter aduertamus, ut in primas species uel differentias diuisio fiat: deinde ut species potius quàm differentias accipiamus. In species enim propriè genus, non in differẽtias scinditur. Verùm quoniam rerum species plerunque nomine carent, maximeq; illæ, quæ rursus tanquam genera disiungi poßunt, quas subalternas nuncupamus, differen- *Diuisio generis in species.*

tias ſpecierum loco ponimus. Nam cùm *differentia ſit, qua aliud ab alio diſtare aſſerimus, omnis differentia ad*
Differentia tribus modis dicitur. *diuiſionem, quanuis non omnem, idonea eſt.* Differentia *igitur triplex eſt, quæ actu à ſubiecto ſeparari poteſt, ut ſedere, ſtare, candidum eſſe, nigrum eſſe.* Quæ *actu quidem non ſeparatur, ſed ſola ratione, ac mente diſiungi poſſe percipitur, quomodo album cygnum à nigro coruo differre uides.* Et *quæ nullo pacto, non modò non actu, ſed ne mente quidem tolli poteſt: nam ſi tollitur, id quoque perimitur quod ea re ab alijs differt, ut rationali à cæteris homo differt.* Et *ſi rationem ab eo tollas, nec homo quidē erit: quam differentiam ſolam in diuiſione generis adhibere debemus.*
Lex diuiſionis. Nam *reliquæ, diuiſioni quæ per accidens fit, accommodantur.* Ipſas *ergo ſubſtantiales, quas & ſpecificas appellari diximus, ſub genere ponemus proximo, ſemperq; oppoſitas (ut iam dictum eſt) inueniemus.* Per *præpoſitionem negationis cum uni tantum differentiæ nomen ſit inditum: ut, numerorum alij primi, ſicut tres, ſeptem: alij non primi, ut nouem: per contraria, ut, colorum alij nigri, alij albi, alij neutri: per habitum & priuationem, ut animalium alia rationalia, alia irrationalia.* Reliqua *quæ relationis eſt oppoſitio, in diuiſione generis locum nō habet.* Ad *hæc, ordinem quendam retinere debet diuiſio, ut negatio ſemper poſtrema ponatur, affirmatio & habitus præcedant: nam & docemur facilius, & natura prior affirmatio & habitus eſt, poſterior negatio atque priuatio.* Diuiſione *generis uſque ad ſpecies ultimas rectè diducta, facilè erit omnem ſpeciem quæ primo generi ſubiecta ſit ſubſtantiali definitione complecti.* Conſtat *enim definitio genere atq; differentijs.* Qua-
Definiendi ratio. *re nec generaliſsima hac definitione, nec indiuidua definiri poſsunt. nec enim ultimum ultra ultimum eſt, nec indiuidua*

ſubſtan

substantiali differentia differre possunt. Cùm igitur rem aliquam definire uolumus, facta diuisione superioris generis usque ad extremas species, genus eius rei proximum primò, deinde eius generis diuidentem differentiam generi adiungemus: quæ si rei non exæquantur, ita ut non conuertantur, tertiam adijciemus, uel etiam quartam, quoad usq; definitio nec plus, nec minus, sed rem ipsam perfectè absolutéque complectatur, adeò ut cum ea conuertatur: ut cùm uolo definire hominem, primi animal quod homini proximum genus est, deinde rationale assumo, dicóque hominem esse rationale animal, qua oratione substantia hominis explicata est, nisi quis putet (ut Platonici) cœlestia quoq; corpora, quæ perpetua ac immortalia sunt, rationalia esse animalia. Tunc enim ex sectione rationalis animalis, mortali atque immortali, mortalitas definitioni hominis est applicanda, ut homo sit animal rationale atque mortale. Quòd si quis (ut antiquitas credebat) nymphas eße quasdam longæuas, mortales quidem, sed hoc hominibus diuiniores, quòd ex se ratiocinando discant, cùm homines si nihil penitus audiant, nihil discant, quis, inquam, id uerum eße putabit? facta huius innominati generis distributione, quòd hoc ex se quidem ratiocinando sciat, illud uerò non ex se ratiocinando primò, sed quòd audiendo re atque actu didicerit, sciat, diceremus hominem esse animal rationale, mortale, disciplinæ capax. Ac ita demum quicquid homo erit, huiusmodi erit animal, & quicquid huiusmodi animal, homo erit, nec plus nec minus positum erit in definitione. Quod cùm accidit, uertere retro poteris. Diminuta enim definitio uerbis, maiorem: abundans, minorem rerum cumulum facit. Item cùm quid sit uerbū adinuenire studeā, genus primò, uo-

Hominis finitio iuxta Platonicos.

Verbum. mò, uocem scilicet assumam, & cùm omnem uocem uideam in duo scindi, in eam quæ aliquid, ac in eam quæ nihil significat, uocem significantem dico esse uerbum, sed non sufficit: nam significantium uocum, quæ natura significant, uerba non sunt: addo igitur institutione significans, ut à nomine separem: cum tempore, ut ab oratione uerbum segregem, cuius nulla pars significat separata, uideo esse adijciendum. Ita definitio uerbi, rei exæquata est, uox institutione significans cum tempore, cuius nulla pars significat separata. Verùm quemadmodum ex diuisione colligitur definitio, sic ex definitione rursus haberi diuisio potest, ueluti ex hac ipsa uerbi definitione, uocem diuidemus significantem, in natura significantem, ut gemitus, & institutione, & hanc cum tempore, uel sine, & utranque, in eam cuius partes separatæ aliquid significant, ut oratio: & in eam, cuius pars nihil significat separata, ut nomen, si absque tempore: si cum tempore, uerbum. Nam cùm ex una parte differentiæ in definitionem inductæ sunt, facile est eodem ordine oppositas ex altera parte collocare. Ex hisce omnibus illud perspicuum est, res multò pauciores esse quàm terminos. nam si termini rebus exæquarentur, tam definitio, quàm diuisio duobus tantum terminis incomplexis fieret, ut si huic generi, quod est animal rationale mortale (nihil enim prohibet ita exemplo uti, tanquam si longæuæ nymphæ nulla existerent disciplina scientes) si huic, inquam, rei quæ genere una esset, incomplexus terminus esset impositus, similitérque huic differentiæ, quæ est disciplinæ capax, definitio, quæ longior facta est terminorum inopia, duobus tantum confecta esset: eodem modo si ei generi uocabulum esset, quod orationi cum

Diuisio ex definitione.

Vocum penuria.

uoce

uoce ex institutione, significanti cum tempore, uel sine tempore, commune est, & huic differentiæ similiter, quæ est, cuius nulla pars separata significat, definitio nominis uel uerbi duobus terminis constaret. Hoc *ipsum & in diuisione conspicere licet, ut cum dicimus, rerum omnium quædam sunt bona, quædam sunt mala, quædam indifferentia, quæ* Græci *dicunt* ἀδιάφορα: *tripartita facta diuisio est, quoniam eius quod est indifferens, proprio uocabulo caremus.* Nam *si quis ita distribueret, rerum omnium alia differentia, alia indifferentia, differentium, alia bona, alia mala, in duos quidem terminos secaret, uerũ tam auditores quàm seipsum ignorantia confunderet, cum differens (nisi aliud quiddam antecesserit) differentiæ omnis & æqualitatis aut similitudinis cuiusq; significantiam habet.* Quare oportet *diuidendo, ne confusio fiat, quæ distinctioni opposita est, certa præponere, ut incertiora quasi circunscripta determinẽtur.* Verum *de substantiali definitione hactenus.* Nunc *uerò cætera breuius perstringamus.*

NEOMA.

NOn enim generis in species aut differentias hæc distributio est.) Docet hanc partiendi rationẽ ab aliis differre, à generis quidem diuisione, quoniam species rerũ distinctæ sunt, nec ut una sit, reliqua opus est. Homo enim etiam si non sint bruta, & bruta si non sit homo, esse & non esse possunt. Animæ uerò potestas superior ab inferiore re ipsa discreta esse non potest. A partitione totius continui, quòd de partibus totum non dicatur: Non enim caput est homo, nec pars integri integrum, quomodo unaqueq; animę potestas anima absoluta est & dicitur. A partitione totius uniuersalis quòd huius partes indiuidua sunt, animæ uerò genera.

(IN species enim propriè genus nõ in differentias scinditur.) Vbi specierum numerus certus est, nec impendiò magnus, si nomina nõ impediunt, melius in species quàm differentias diuidimus, ut uirtutem in prudentiam, iustitiã, fortitudinem & temperantiam: sic corporum simplicium aliud

cœlum, aliud elementum. Quæstionum alia thesis, alia hypothesis. Vbi uerò specierum numerus infinitior est, aut desunt nomina, necessariò per differentias diuidimus: ut animalium aliud rationale, aliud brutum.

(VT rationali à cæteris homo differt.) Hominem λογικὸν ζῶον dictum quidam uoluerunt, quòd solus inter animantia loqueretur. Alii (quemadmodum Cicero) à ratione, id est, ut Macrobius interpretatur, à ui mentis, ea est facultas intelligendi. Plato λογικὸν dictum scribit, quòd computare solus sciret. Hæc enim omnia λόγος significat.

Numerus impar primus. (NVMERORVM alii primi, alii nō primi.) Imparis numeri diuisio est. Dicitur uerò numerus impar primus, quē nullus alius numerus aliquoties sumptus emetitur siue exęquat, quare unitatibus numeretur necesse est: ut 1.5.7.13. Nullus horum aut similium est, quem numerus quispiam numerare possit, ut 2. si sumatur bis, quinarium nō attingunt: si ter, superant, & sic in aliis. Primus uocatur non naturali ordine: nam sic solus ternatius uocaretur primus impar: sed ob id quòd unitatibus duntaxat quæ numerorum fons est, dimetiatur. *Non primus.* Non primus dicitur impar, quem non unitas modò, sed & alius mensurat, ut nouenarium ternarius, si ter sumatur, absoluit ac perficit. Sic 15. ternarius quinquies, aut quinarius ter sumptus mēsurat, & 21. septenarius ter geminatus. Cæterum hic nomine non caret: uocant eum Arithmetici secundum, quòd non unitate sola, sed alio numero etiā mensuretur, & compositum, quoniam ex numero aliquoties sumpto ueniat.

(PER habitum & priuationem, ut animalium alia rationalia, alia irrationalia). Irrationale, insensibile, inanimatum, afferuntur à dialecticis uoce tantum esse priuatiua, significare autem naturam quandam diuersam illi, cuius ex aduerso ponuntur, ut incorporeum pro spiritu, inanimatum pro corpore surdo, irrationale pro bruto accipiatur. Meminit huius Rodolphus libro primo.

(NISI quis ut Platonici cœlestia quoque corpora.) Plato *Tria deorū genera apud platonem.* tria deorum genera facit: Vnum, in quo summum deum statuit ἀσώματον, ut ipse dicit, mundi opificem, & (quomodo de Ioue apud Homerum est, hominum & deorum patrem. De hoc deo sic in Timæo scriptū reliquit: τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ

καὶ πατέρα τοῦ δὲ τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας λέγειν ἀδύνατον. hoc eſt, mundi quidem autorem & patrem inuenire negotium eſt, & inuentum uulgo eloqui impoſſibile. Alios facit deos animales, quorum quidam corpore ſunt igneo immortali, mente uerò rationali: quos deos aſtra eſſe dicit, nec errantia ſolum, ſed illa quoque quæ fixa celeri ac immutabili circa terram uoluuntur curſu: ſic enim in Epinomide ait: νομίσαι δὲ δεῖ πάντα τὰ κατ' οὐρανὸν ταῦτα εἶναι ζώων γένη, ὃ δὴ πᾶν χρὴ φάναι θεῖον γένος ἄστρων γεγονέναι σώματος μὲν τυχὸν καλλίστου ψυχῆς δ' εὐδαιμονεστάτης τε καὶ ἀρίστης. id eſt, Hæc cœleſtia putamus animalia diuinum aſtrorum genus, corpore pulcherrimo, animaque beatiſſima & optima conſtitutum. Hos à ſempiterno motu ac celeri curſu θεοὺς in Cratylo dictos ſcribit, ἀπὸ τοῦ θεῖν, id eſt, à currendo. Poſtremum locum habent illi quos dæmones dicit animales etiam & rationabiles, ut ſuperiores illi, corpore autem aëreo ac immortali, animo ut homines mutabili & affecto, & interdum oculis hominum conſpicui. Quos ueteres Latinorum, Lares, Genios, ac Penates uocabant. De his eſt in Epinomide, Μετὰ δὲ τούτους καὶ ὑπὸ τούτοις ἑξῆς δαίμονες ἀέριον δὲ γένος. ἔχον ἕδραν τρίτην καὶ μέσην, τῆς ἑρμηνείας αἴτιον. id eſt, deinceps uerò ſub his dæmones ſunt, genus aëreum, in tertia mediaque regione, qui ſunt interpretationis cauſa.

(QVOD ſi quis (ut antiquitas credebat) Nymphas eſſe quaſdam.) Nympha, ſponſam, uirginem nubilem, & Deam & Muſam ſignificat. Dicuntur etiam uires occultæ terræ, ſtirpibus irriguis ac fluentis, per quas fructuum nouorum eduntur ſcaturigines. Harum aliæ ſunt maris, quæ à Nereo patre Nereides dicuntur, quas multas recenſet Homerus Iliados decimoſeptimo. Aliæ à fluminibus & fontibus. Aliæ ab arboribus ac ſyluis ἁμαδρυάδες, quarum à Marone longiſſima uita exiſtimatur. Reliquæ ſunt λειμωνιάδες, & ὀρεστιάδες, à pratis ac montibus nomina ſortitæ. Nympha.

(QVOD ex ratiocinando diſcant.) Ratiocinando diſcunt, qui apud ſe mente pacata ac tranquilla alia ex aliis colligendo abſque doctoris opera ad rerum abſtruſarum cognitionem perueniunt.

DIMIN

(DIMINVTA enim definitio uerbis, maiorem:abũdans, minorem rerum cumulum facit.) Hoc est, definitio in qua quippiam desideratur, latius patet, quàm id quod definitur: ut si quis equum definiens, dicat, animal quadrupes, hoc pluribus conuenit, quàm uocabulum equus. Quòd si redundauerit quippiam, contrariũ eueniet: ut homo animal rationale medicũ, id paucioribus conuenit quàm quod definitũ est.

(EX hisce omnibus illud perspicuum est, res multò paucio res esse quàm terminos.) Imò hoc potius sequebatur, uocũ præsertim propriarum magnam esse penuriam. Cum in unius rei differentia explicanda sit opus periphrasi. Nec tamẽ hinc sequitur uoces esse plures, quàm res. Hæ enim infinitæ sunt, uoces uerò finitæ, ut est apud Aristotelem in Elenchis. Nam sæpe uocibus utimur eisdem in diuersa rerum aliarum explicatione.

LATOM. (CVM igitur rem.) Huc pertinet formula definiẽdi, quæ apud Ciceronem est in Topicis, ut sumptis iis quæ cõmunia sunt ei, quod definire uolumus, cum cæteris rebus eousque persequamur, donec proprium efficiatur ei quod definimus. Nam communia quæ sumuntur differentiæ sunt, quæ eousque sunt sumendæ, donec ad ultimum perueniatur.

(DIMINVTA enim definitio.) Definitio semiplena intra complexum rei manet, abundans excedit. Itaque ne hoc accidat, propria esse debet.

(EX hisce omnibus.) In definiendo pluribus uerbis quàm rebus utimur, quod non copia, sed inopia uerborum accidit. Ergo pauciores res in definitione sunt, ut genus & differentia, uerba autem plura, cùm nõ uno uerbo differentiam com plecti possumus, sed plura sint adhibenda: ut, asinus est animal solidis pedibus, auritum & fœcundum.

Descriptio. *DEscriptio accidentalis differentias quæ separari non possunt continet. Et si totam rem absolutè, huiusmodi una ostendit differentia, eam solam ponemus, ut, homo est quod ridere potest: quòd si id non accidit, cæteras apponemus, quousq; uertere descriptionẽ cum re poßimus: ut, animal est quod propria ui potest in oppositos locos moueri. Enumeratione partium aliquid definimus, cum integrãtes*

omnes

omnes atque principales assumimus partes, ut quod uolumus ostendamus, hoc modo: Domus *est, quæ fundamentis & parietibus constat. Quòd si parum partes afferre uidentur, uel formam, uel finem apponemus.* Nam *& theatra columnis ex aliqua parte sustentata, & tecta, domus non sunt. Quare, si undique parietibus coniuncta atque conclusa dicas, formam: si ad habitationem constitutam, finem: si utrunque, utroque rem significantius expresseris. Hæc à descriptione differt, nam etsi quasi partes in illa etiã connumerantur nonnunquam, hic tamen semper singula definiendo minora sunt, quæ in descriptione uel maiora uel æqualia, nunquam minora inueniri possunt.* Per *diuisionem definiemus, cum aliquod genus quid sit per subiectas ei partes omneis proximas atque disiunctas explicamus, ut animal est quod sensu tantum, uel sensu simul & oratione utitur. Hæc definiẽdi ratio generalißimis generibus accommodatißima est.* Nec *enim facilius aut perspicacius ea quid sint enodare possumus, quàm si species uel differentias eis primò subiectas omnes, uel specierum definitiones disiungendo proferamus: ut, substantia est, quæ uel sensu, uel mente per se esse comprehenditur.* Et *quantitas est, cùm cuiusquam partes uel communi termino coniunguntur, uel distinctè aceruum ex unitatibus constituunt: hoc modo, id quod est, describimus, cum dicimus,* Ens *est quod uel per se consistit, uel alteri inhæret. Quòd si quis non proxima, sed longiora enumerat, quæ tamen cuncta propter multitudinem comprehendi non poßunt, non per diuisionem explicabit, sed ea ratione utetur, quam nonnulli* Definitionem *ut (non rectè)* Græci *τύπον appellant, ut substantia est, uerbi gratia, homo, equus, arbor.* Sed *de diuisione ac definitione satis multa.* Nunc *de obligatione nonnulla afferamus.*

Definitio per diuisionem.

Ens.

Definitio. τύπος.

NEOM. DESCRIPTIO accidentalis differentias, quæ separari non possunt cōtinet.) Descriptionem uocant dialectici quæ non differētiis, sed accidentalibus rem propositā explicat, quales sunt finitiones lapidum, herbarum, arborum, animalium, apud Aristotelem & Plinium. Vt si quis philomelam auiculam dicat, magnitudine infra passerem, uentre cādido, cætera subcinericiam, uoce supra modum canora. Crebrum est hoc finiendi genus: quandoquidem illæ quas essentiales uocant, non semper occurrunt propter differentiarum penuriam. Quare in describendis personis, urbibus, populis, prouinciis, regionibus, montibus, fluminibus, fontibus, hoc

Descriptio. genus usurpabimus. A Rodolpho Agric. descriptio rectius dici putatur oratio, non qua quid sit res, sed qualis, fusius oratorio, ac poëtico more exponitur: ut quales Galli, quales Scythæ, qualis auarus, qualis assentator: quemadmodum ea, quam Græci καταγραφὴν uocant: est autem poëtis frequentissima in rerum & personarum explicationibus per circunstantias assumptis.

(SI ad habitationem constitutam finem.) A fine definit

Domus. domū Aristoteles primo libro de anima, sed obiter σκέπασμα κωλυτικὸν φθορᾶς ὑπ' ἀνέμων καὶ ὄμβρων καὶ καυμάτων, hoc est, tegumentū prohibēs incōmoditatē uentorū, imbriū & æstus.

Theatrum. (NAM & theatra columnis aliqua parte sustentata.) Theatrum ædificium publicum erat, in quo populus ludos spectabat, dictum à θεάομαι, quod est speculor & contemplor. Aedificabatur tecto concamerato & in formam hemicycli composito, quod columina paribus interuallis in orbem posita sustentabant, qua de re uide Vitruuium libro Architecturæ quarto.

(HOC modo id quod est describimus.) Tractatur id apud Aristotelem libro quinto, aut (ut nunc distincti sunt) quarto primæ philosophiæ: Quod uerò per se est, ab eo οὐσία dicitur, aliud συμβεβηκός.

Definitio. (QVAM nonnulli definitionem non rectè, Græci τύπον appellant.) Est modus quidam definiendi seu indicandi potius, cùm non finitione, sed exemplo rem quid sit, ueluti digito ostendimus: ut si quid accidens sit quæratur, respondeaturque, Accidens est, ut candor, nigredo. Solent autem Græci ubi hoc genere utuntur, inserere clausulam, ὡς τύπῳ λαβεῖν.

λαλεῖν, aut ὡς ἐν τύπῳ εἰπεῖν, ut Aristoteles in categoriis: ἐπὶ δὲ οὐσία μὲν ὡς ἐν τύπῳ εἰπεῖν, οἷον ἄνθρωπος, ἵππος. Id est, substantia est, uerbi gratia, ut homo, equus. Alii uertunt ut sit figuraliter dicere. Hinc est quòd Græci illud definiendi genus τύπον, uel autore Georgio Valla, ὡς τύπος: Latinorum quidam, sed nimis durè, definitionem ut, quod ad uerbum sic è Græco traductum est, ubi οἷον sic accipi solet. quin & hoc loco opinor legendum esse in Trapezuntio ad hunc modum. Quam definitionem, ut non rectè, Græci typon appellant. A Latinè loquentibus exemplaris definitio dicitur. Traduntur præter formas has, quas quatuor Trapezuntius recensuit, pleræque aliæ. Quindecim enim fecerunt, quas intellexisse Mar. Tullium Victorinus autor est in Topicis, quo loco sic dicit: Sunt & alia genera definitionum, sed ad huius libri institutum illa nihil pertinent. Nos ea paucis exponemus, quo iuuentus diuersas definitionum formas, suis nominibus notet apposité. Prima igitur est οὐσιώδης, id est, essentialis, de qua satis diximus. Secunda ἐννοηματική, quæ notio dici potest: ea est cùm notis quibusdam res describitur: ut si Romanos gentem togatam dicamus: aut hominem, qui animantibus cunctis ratione & cõsilio longè præstat. Tertia est καταγραφή, qua quicquid ex circunstantiis ad rem pertinet, latissimè exponitur. Poëtis crebra, nec oratoribus infrequens est. Sunt autẽ causarum, negotiorum, personarum, locorum, temporũ descriptiones: quarum syluam & tractatum habes apud Erasmũ in libello de Copia rerũ. Est alia quę κατὰ λέξιν dicitur, cũ uocem uoce interpretamur, ut cõticuere est tacuere ζῶον est animal, ἄνθρωπος homo. Itẽ aliud genus, cũ quid inter res duas pluresue intersit docemus: ut odiũ ab ira differt, quòd hæc breuis sit, illud inueteratũ. Hęc Gręcè κατὰ διαφορὰν dicitur. Sexta est quæ κατὰ μεταφορὰν dicitur, cuius meminit Cicero in Topicis: ut litus qua fluctus eludit. Adolescẽtia flos ætatis est. Septima dicitur per contrariũ, Gręcis καθ' ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου, ut uirtus est uitiũ fugere: Sapientia, stultitia caruisse. Octaua est τῶν πρός ἄλληλα, id est, ex his quæ ad se inuicẽ sunt. Ea est relatiuorũ, ut uẽdere est emẽti pretio aliquid tradere. Maritus dicitur, cui uxor est. Nona dicit' ὡς τύπος, cuius nũc meminim'. Decima, κατὰ ἔνδειαν πλήρους ἐκ τοῦ ὁμογενοῦς, hoc est, p indigentiã pleni eiusdẽ generis, ut deunx, cui deest uncia ut as sit. Vndeci

Definitio ut.

Definitionũ genera multa.

1 οὐσιώδης

2 Notatio.

3 Descriptio.

4 κατὰ λέξιν.

5 Ex differentia.

6 Per translationem.

7 Per contrarium.

8 Per mutua.

9 ὡς τύπος

10 Per indigentiã pleni

11 Per laudem. decima, καθ᾽ ἔπαινον, hoc eſt, per laudem: ut, lex eſt animus, mens conſilium ciuitatis: & philoſophia eſt ars artium & 12 Secundũ analogiam. ſcientia ſciẽtiarum. Duodecima, per analogiam dicitur, cùm ſimilitudine ſeu proportione deſinimus: ut, ſol oculus mũdi 13 Ex cauſis. ἄνθρωπος, μικρόκοσμος à philoſophis dicitur. Decimatertia eſt, αἰτιώδης, quæ fit per cauſas: ut Ariſtoteles primo μετεώρων νύκτα σκιὰν τῆς γῆς, id eſt, noctem umbram terræ dicit. Pari ratione diem in Topicis finit, ἡμέρα, inquit, ἡλίου φορὰ ὑπὲρ γῆς ἐστί, hoc eſt, dies eſt latio ſolis ſuper terram. Has definitiones Ariſtoteles exiſtimat eſſe primæ uirtutis, quod non ſolùm quid res ſint doceant, ſed è quibus cauſis oriantur: quin etiam integram rationem ſubeſſe credit, ſi cui explicare eam libeat. Poſtrema, κατὰ ἐτυμολογίαν, eſt cum ex ui nominis quidpiam 14 Ab etymolog. finitur, ut apud Ouidium: Focus, quòd foueat omnia dictus. Profuerit ad definiẽdi facultatem, ſi quid aliud, tum hoc maximè, adhibere ad definitionem ſingulos locos dialecticos: quomodo Rodolphus docet de diuiſione. Nullus enim erit definitioni non idoneus: inuentio uerò facilis iuxta eandem rationem quam de diuiſione docuit. Siquidem eiuſdem facultatis eſt diuidere ac definire.

DE OBLIGATIONE.



Obligationem iuniores appellant, cùm nec neceſſaria, nec impoßibili re propoſita de ea ſic diſputant, ut propoſitionem cuſtodiant, quam & ob ruditatem inſcitiámque ſordeſcere iam fecerunt, & ad nihil aptam: θέσις *ergo quædam (quam nos infinitionem in* Obligatio. *rhetoricis nominamus) obligatio eſt; quam qui defendit, idcirco dicitur obligatus, quòd non licet ei quicquam aſſerere, quod contra id quod poſuit, eſſe uideatur. Quam ad rem præcepta etiam quædam afferunt rhetores, mea ſententia, utilißima. Nam qui ea negligunt, aut eiſdem obtortè & nequicquam utuntur, eos uideo tanquam pueros aut omnino rudes, modò hoc, modò illud inconſtanter, ne ſtultè dicam, affirmare. Quod ne tibi uel in ſermone, uel in ſcriben*

scribendo accidat, primò diligenter caue, ne quod ex ea re quam iam proposuisti, sequitur, uel ea simul cum uno pluribúsue iam datis, ignoranter neges, ut si hominem dixeris, non negabis animal: aut si hominem eloquentem, non negabis prudentem: & si hæc, probum quoque uirum esse nõ repugnabis. Contrà uerò si quid positioni repugnat, aut uni pluribúsue in disceptando concessis, uel quouis modo in sermone datis, semper negandum est. Aliter enim nos ipsi causam nostram euerteremus, & ex aduersarij causa, non ex nostra diceremus. Ita eloquentem quem dixeris, ineptũ negabis. Nam uerò & eloquentem, & imprudentem, asserere stultitiæ est. Ad hæc danda est opera, ne quid afferas, ex quo alicuius rei, quam iam protulisti, oppositum eueniat: ut si quem insolentem appellaueris, eundem postea coli ab hominibus affirmes. Sequitur enim insolẽtiam arrogantia, & hanc odium, quare & insolentiam. Præterea si quid ex ijs, quæ iam concessa sunt, & oppositio eius quod abnuis, uno pluribúsue cõficitur: id uerò si cum asseueratione, magis affirmandum est, ut si quoniam omnes homines natura eloquentes credis, artificio negabis eloquentes: illud constãter proferendum est, nulla te obseruatione ad eloquentiam iuuari. Semper igitur quicquid sequitur ex ijs, quæ aut spõte, aut interrogati dedimus, aut etiam coacti concessimus, aut oppositis eorum quæ repugnant, uel sponte concedendum: uel si perimendum ducimus, sponte negabimus, interrogati non cedemus: nisi res planè sit necessaria, uel impossibilia sint ex ui consecutionis, uel repugnantiæ respondẽdum. Deinde uerò si eiusmodi sunt, quæ iuniores impertinentia dicunt, ex qualitate rerum ipsarum, quæ proponuntur, respondendum: ac ut per se quod necessariũ est nunquam negandum, sic impossibile per se nunquam conceden

cedendum. Quas ob res ingenio antè totam rem & quidē acriter perspicere debemus: & singula eorum quæ dicimus, ita consideranda, ne quicquid ex quacūq; re cōsequatur, lateat. Verùm quoniā oratoris materia plerūq; uerisimilis, rarò necessaria ac uerisimilia in utrāq; partē nonnunquā trahuntur, aut habēt ex altera quoq; parte aliquid uerisimile, ut ipsa quæ uerisimilia sunt, quādoq; opponi uideantur: ut, multi pecuniæ quàm officij cupidiores sunt, cui opponitur & uerisimiliter dicitur, quis est qui non officij, quàm pecuniæ cupidior sit? Quoniā ergo ita se res habent, diligenter animaduertēdum est, ne ut ignorātes modò hoc, modò illud in eadem disceptatione dicere uideamur. Quod cùm omnium difficillimum in dicendo sit, fit facilius, si finē quò peruenturi sumus, mente complectamur, & quicquid dicimus, eò dirigamus. Verùm ne quis putet hæc præcepta quæ breuiter exposuimus, nō tantopere utilia esse, nō grauabor uel ad doctrinā tuam, uel ad rhetorum cōmendationem exēplorum loco ea dicere, quæ multi suo & multitudinis iudicio docti constāter asserunt. Quos (si uidebitur) alijs uoluminibus nominatim redarguemus, ut eorum memoria nō ut ipsi putant, cum scientiæ laude, sed cum ignorantiæ culpa, & quidem quousq; lingua Latina (addam & Græca) extiterit, posteris tradatur. Solent ergo multi rhetoricæ artis ignari nobis detrahere, cùm eloquentiæ princeps M. Tullius multa uolumina eâ de re nobis reliquerit, quo neminem unquam melius rhetoricā docuisse asserunt. Deinde sui obliti, cùm longius in sermonē processerint, M. Tullium aiunt aliter atq; aliter eadē de re scripsisse, ac in diuersis uoluminibus diuersas opiniones tenuisse: ex quo rudes & agrestes homines confici non uidēt, confudisse ipsum rhetoricam, non docuisse. Non dico hæc, quòd mihi etiā M.

Tullius

Tullius confudisse omnia uideatur, sed quòd ex uerbis consequatur, idcirco magis mihi scribendum fuisse, quòd Cicero tot opiniones (ut ipsi dicũt) secutus sit, quot libros edidit. Quid quod Agaso scripsit? Turpe est, inquit, Latinis à Græco homine. Deinde cùm multa uelit ostendere à maioribus nostris relicta de facultate dicendi uolumina, Aristotelem, Hermogenẽ, Demosthenẽ, ac Isocraticam scholam in mediũ adduxit: qui omnes quoniam Græci fuerunt, non dubito, quin uideas irretitum uerbis suis teneri aduersarium. Hæc adijcere placuit, non ut ignorantiam alicuius detegerem (neminem enim nominaui) sed ut intelligas præcepta hæc obligationis semper in omni sermone ac disceptatione, ac multò magis in scribendo conseruanda. Nunquam enim dicere cum asseueratione poteris (quod Cicero admonet) nisi quæ dicta sunt, faciliora tibi exercitatione feceris. Nam qui negligunt, eos uideo alioqui doctos, ea ignorantia sua scripta connectere, ut nõ pudore affici non soleam, quando cum huiusmodi hominibus sermo habetur. Quos si quis reuocare ab erratis uellet, non sui uel doctrinæ ipsius gratia, sed intolerabili quadam arrogantia id eum facere putarẽt. Quare putrescant hi quidem sua inscitia, quando doctis omnibus atq; peritis dedecori sunt, cùm inter eos numerantur. Tu uerò da operam, ut non hæc solùm, uerùm ut multò maiora & plura consequaris: ut ratione dicendi rectè habita, & maiorum scientia rerum non abiecta, uerè doctus & sis & uidearis.

OBLIGATIONEM iuniores appellant.) Obligatus dicitur quispiam nouato uocabulo, cùm thematis, de quo in utranque partem disseri potest, unam partem defendendã sumpserit, cuiusmodi sunt altercationes scholasticæ, quæ ingenii exercendi gratia fiunt, aut disputationes feriæ, ubi NEOMAG.

 pro

pro uero discernitur: ut sunt Ciceronis pleræq; de Finibus, item in Tusculanis. Fit etiam absq; aduersario oratione perpetua, ueluti sunt Ciceronis παράδοξα, de Deo, de diuinatione. Est autem fructus totius artis dialecticæ, huiusmodi de re aliqua in utramcunq; partem disputare.

Quæstionis duæ species. (THESIS ergo quædam, quam nos infinitionem, &c.) Diuidunt quæstionem rhetores in θέσιν & ὑπόθεσιν. Prius illud à Cicerone infinitum & propositum, & consultatio dicitur, à Trapezuntio infinitio. Est autem *θέσις.* θέσις uniuersalis quæstio, non notata certis circunstantiis loci, temporis aut personæ, ut, Sintne erudiendi liberi, sitne ducenda uxor. In huiusmodi thematis uult Aristoteles ad rhetorum copiam in *ὑπόθεσις.* utranq; partem, ut ornatius & uberius dici possit, iuuenes, diligentissimè exerceri. ὑπόθεσις quæstio est certis personis, locis aut temporibus finita, à Latinis causa dicitur, ut, sitne Catoni ducenda uxor, uel an sint erudiendi Scipionis liberi, an tyranni, an pacis, an belli tempore. Hanc autem oratoris materiam dicunt, superiorem philosophorum. Non uideo autem qua ratione Trapezuntius existimet in thesi solùm esse obseruanda hæc præcepta, cùm & hypothesi æquè necessarium sit hæc cauere, nisi fortè dicamus thesin proprium esse dialecticorum, alioqui has dicendi regulas in omni genere disputationis atq; adeò orationis custodire oportet.

(QVAM ad rem præcepta etiam quædam afferunt rhetores.) Huius rei præcepta passim traduntur: ut de artificio interrogandi, obiiciendi, respondendi, confutandi, quemadmodum est apud Aristotelem in octauo Topicorum, & in *Libr.6.cap.6.* Elenchis, item apud Fabium de altercatione, & apud recentiores de disputando.

(PRIMO diligenter caue, ne quod ex re quam iam proposuisti.) Disputanti diligenter cauendum est, ne in eorum quæ uel probationis loco adiunxit, uel aduersario urgente coactus, aut sua sponte etiam concessit, obliuionem ueniat: alioqui fieri posset ut disputationis progressu superioribus diuersum aliquid excidat.

(AVT si hominem eloquentem, non negabis prudentẽ, & si hæc.) Nam Orator (ut à Marco Catone definitur) est uir bonus dicendi peritus. Vide Fabium libro duodecimo, capite primo, & Ciceronem de Oratore libro primo.

ITA

(ITA eloquentem quem dixeris ineptum negabis.) Ineptus quis dicatur, ostendit Crassus apud Ciceronem libro secundo de Oratore his uerbis: Quem enim nos ineptum uocamus, is mihi uidetur ab hoc nomen habere ductũ, quòd non sit aptus, idq; in sermonis nostri consuetudine perlatè patet. Nam qui aut tempus quid postulet, non uidet, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum quibus cum est uel dignitatis, uel cõmodi rationem non habet, aut deniq; in aliquo genere aut incõcinnus, aut multus est, is ineptus dicit. *Ineptus quis dicatur.*

(VT si quoniam omnes homines natura eloquentes credis.) Naturam ad discendum plurimum ualere docet apud Ciceronem Crassus libro de Oratore.

(VEL sponte concedendum: uel si perimendũ ducimus.) Nam extorta concessio cætera omnia, & quæ dicta sunt, & quæ dicuntur suspecta reddit, putabitq; aduersarius esse uictoriæ aliquam partem, si urgens quidpiam extorserit.

(INTERROGATI non cedemus.) Si interrogabimur quidpiã, cuius aut difficilis est responsio, aut nõ secus quàm secundum aduersarii sententiam dari potest, nos contrà interrogatione simili urgebimus consilio Fabii. Alioqui si res apertè necessaria aut impossibilis sit, non grauatim aut negabimus, aut asseremus pro rerum qualitate. Cæterùm Trapezuntii uerba quæ in hunc modum habent: Vel impossibilia sint, ex ui consecutionis, aut repugnantiæ respondendũ: nullum sensum efficiunt. Quare sicne legendum sit, uide: Si impossibilia sint, uel necessaria, ex ui consecutionis, aut repugnantiæ respondendum: uel ut uetus lectio habet, omisso in fine uerbo, respondendum.

(SI eiusmodi sunt quæ iuniores impertinentiã dicunt.) Impertinentia à iunioribus nouato uocabulo dicuntur, quæ Græci ἄτοπα, id est, intempestiua, quæ ita à re proposita abhorrent, ut siue uera sint, siue falsa, nullam rationem habent probandi improbandiue eius rei qua de disseritur: ut sit quæstio, Mórsne malum est, quæraturq; deinde mundus sitne factus, seu sitne Sol in Cancro. *Impertinẽtia.*

(QVAS ob res ingenio ante totam rem & quidem acriter perspicere debemus.) Eandem Fabius sententiã de altercatione habet: Valet, inquit, in altercatione plurimum acumen, quod sine dubio ex arte non uenit. Natura enim non

docetur, arte tamen adiuuatur, in qua illud præcipuum est, semper id in oculis habere de quo quæritur, & quod uolumus efficere.

(NOMINATIM redarguemus.) Suspicor hanc criminationem esse aduersus Ioannem episcopum Aleriensem ac Theodorum Gazam, cũ quibus Trapezuntius inimicas habuit contẽtiones. De Aleriensis quidem simultate satis constat ex ea epistola quam Straboni olim excuso præfixit. Gazæ uerò in uita scriptoris meminimus, cuius quoque inuidiã aduersus Trapezuntium ipse satis declarauit in opere Grammatico, ubi eum πορνοβοσκὸν, quod meretrices alentem sonat, nominat. Vide ea quæ superius annotauimus, cùm secundò hunc libellum prælo præpararem.

Trapezuntij de rhetorica libri.

(SOLENT ergo multi rhetoricæ artis ignari nobis detrahere.) Scripsit Trapezuntius quinque libros de Rhetorica, qui ab eruditis non improbantur. Eos illius æmuli, siue hi, quos nunc dixi, siue alii tanquã superuacaneos, nulliusq; utilitatis censebant. Rationem adiecerunt huiusmodi, quòd homo Græcus Romano sermone de Rhetorica scriberet, & quidem post Ciceronem, apud quem multa uolumina sunt eiusdem argumenti, ut quæ ad Herennium (si modò illius sunt) quæ de inueniendo, quæ ad M. filium, & tria illa de Oratore, & ille qui Orator inscribitur: hoc igitur sit ueluti thesis, Trapezuntii laborem superuacaneũ esse. Ratio, quoniam optimus eloquentiæ magister satis multa de ea arte scripta reliquit. Iam uide quàm aptè cum ratione hæc quadret, quod sequitur.

(DEINDE sui obliti cùm longius in sermonem processerint.) Vitiosa digressio: contra tertium enim præceptum assumpta est hæc oratio, præcipitur nanque non esse aliquid adducendum ex quo quippiã repugnans sequi posset. Quod uerò ab his dicitur, Marcũ Tullium confudisse rhetoricam, hoc efficit, operæpretium esse luculentius ac distinctius scribere quempiam rhetoricam, quod aduersus thesin est, qua dicebatur non esse scribendum post Ciceronem.

(M. TVLLIVM aiunt aliter atque aliter eadem de re scripsisse.) Testis est ipse de se Cicero in primo de Oratore, rhetorica præcepta (quæ de Inuentione nunc uocamus) sibi admodum adolescenti excidisse. In aliis uerò libris nõ quid

ipse

ipse sentiat, sed qualis L. Crassi & M. Antonii de re rhetorica olim sententia fuit, dialogismo recenset. Quam rem ait sibi Fabius scribendi post Ciceronem causam fuisse, libro tertio, capite primo.

(QVID quod Agaso scripsit.) Videtur Trapezuntius ad Gazæ nomen planè alludere, quem per contemptum Agasonem dicit.

(TVRPE est, inquit, Latinis à Græco homine.) ἀποσιώπησις est, sermo nimirum παθητικός, ut illud poëtæ, Quos ego. seu ironia per sermonis eclipsim. Sic uerò hic intelliges turpe esse Græcæ nationis hominem Latinam eloquentiam uelle tradere Romanis, à quorũ maioribus satis multa sunt de dicendi arte relicta uolumina.

(ARISTOTELEM, Hermogenem, Demosthenem ac Isocraticam scholam in medium adducit.) Horum omnium opera extãt. Docuit autem Isocrates primus domi suæ rhetoricam, quare schola Isocratica à Trapezuntio dicitur.

(QVOD Cicero admonet.) Et id in exordio ad Herennium, & aliis in locis compluscolis.

(OBLIGATIONEM iuniores appellãt.) Obligatio est totius orationis constantia, qua & inter se omnia quæ dicuntur, & ad propositam quæstionem cõgruunt. Dicta obligatio, quòd qui disputandam quæstionem ingreditur, hac lege obligatus sit, ut ne quid quod contrarium aut alienum sit à proposito, dicat, alioqui inconstans & à seipso dissentire uideatur: ut contra Cæcinnam Ebutius, cùm negat iurisperitis credendum esse, & alio in loco fatetur, se ex C. Aquilii sententia actionem instituisse: & Cælii accusatores, Clodiam aurum commodasse Cælio, quod magnæ familiaritatis signum est, & uenenum sibi à Cælio paratum fuisse, quod magni odii argumentum. LATOM.

Verum disiunctiuæ partium repugnantium & copulatiuæ affirmatiuæ, & negatiuæ formæ, quæ subiiciũtur, necessariæ sunt.

FORMAE DISIVNCTIVAE.

PRIMVS ORDO.

	Aut A est, aut B est,	Aut dies est, aut nox est,
I.	Atqui A est,	Est autem dies,
	Non igitur B est.	Non igitur est nox.
II.	Atqui B est,	Atqui nox est,
	Non igitur A est.	Non est igitur dies.
III.	Atqui A non est,	Dies autem non est,
	Est igitur B.	Nox igitur est,
IIII.	B autem non est,	Nox autem non est,
	Igitur est A.	Igitur dies est.

SECVNDVS ORDO.

	Aut A nō est, aut B non est.	Aut dies nō est, aut nox nō est
V.	Atqui A non est,	Atqui dies non est,
	Est igitur B.	Nox est igitur.
VI.	Atqui B non est,	Atqui nox non est,
	Est igitur A.	Est igitur dies.
VII.	Atqui A est,	Atqui dies est,
	Non est igitur B.	Non igitur est nox.
VIII.	Atqui B est,	Nox autem est,
	Non igitur A est.	Non est igitur dies.

TERTIVS ORDO.

	Aut A est, aut B non est,	Aut dies est, aut lux solis nō est
IX.	Atqui A est,	Atqui dies est,
	Igitur & B.	Igitur & lux solis est.
X.	B autem non est,	Lux autem solis non est,
	Non igitur & A.	Igitur nec dies est.

XI.	*Atqui A non est,*	*Atqui dies non est,*
	Igitur neq; B est.	*Non igitur lux solaris est,*
XII.	*B autem est,*	*Est autem lux solis,*
	Igitur & A est.	*Igitur & dies est.*

QVARTVS ORDO.

	A non est, aut B est,	*Nox nō est, aut umbra terræ est*
XIII.	*A autem non est,*	*Non autem nox est,*
	Igitur neque B.	*Igitur nec umbra terræ.*
XIIII.	*B autem est,*	*Atqui umbra terræ est,*
	Igitur & A.	*Igitur & nox est.*
XV.	*Atqui A est,*	*Nox autem est,*
	Igitur & B est.	*Igitur & umbra terræ est.*
XVI.	*B autem non est,*	*Atqui umbra terræ non est,*
	Igitur nec A.	*Neque igitur nox.*

FORMAE COPVLATIVAE
affirmatiuæ.

PRIMVS ORDO.

	Et A est, & B est,	*Et uirtus est, & honestum est,*
I.	*Igitur A est,*	*Virtus igitur est,*
II.	*Igitur B est,*	*Honestum igitur est.*

SECVNDVS ORDO.

	Ne A est, neq; B est,	*Neq; uirtus est, neq; honestū est,*
III.	*A igitur non est,*	*Igitur non est uirtus.*
IIII.	*B igitur non est.*	*Igitur non est honestum.*

TERTIVS ORDO.

	A est, & B non est,	*Vitium est, & honestū non est,*
V.	*A igitur est,*	*Vitium igitur est,*
VI.	*B igitur non est.*	*Honestum ergo non est.*

QVARTVS ORDO.

	A non eſt, & B eſt,	Virtus non eſt, & turpe eſt,
VII.	A igitur non eſt,	Igitur non eſt uirtus.
VIII.	B igitur eſt.	Turpe igitur eſt.

FORMAE COPVLATIVAE negatiuæ.

PRIMVS ORDO.

	Non A eſt, & B eſt,	Non & hō eſt, & irrōnale eſt,
I.	Atqui eſt A,	Atqui eſt homo,
	Non igitur eſt B,	Non igitur eſt irrationale.
II.	Atqui eſt B,	Irrationale autem eſt,
	Non igitur A.	Igitur non eſt homo.

SECVNDVS ORDO.

	Non A nō eſt, et B nō eſt,	Non & ſanū nō eſt, & ægrotū (non eſt,
III.	Sed A non eſt,	Sed ſanum non eſt,
	Igitur eſt B.	Eſt igitur ægrotum.
IIII.	Sed B non eſt,	Sed ægrotum non eſt,
	A igitur eſt.	Sanum igitur eſt.

TERTIVS ORDO.

	Non A eſt, & B non eſt,	Nō eſt homo, & rōnale nō eſt,
V.	Atqui eſt A,	Atqui eſt homo,
	Eſt igitur & B.	Eſt igitur & rationale,
VI.	Sed non eſt B,	Sed non eſt rationale,
	Neque igitur A.	Igitur nec homo.

QVARTVS ORDO.

	Non A non eſt, & B eſt,	Non et hō nō eſt, & rōnale eſt,
VII.	Sed A non eſt,	Sed homo non eſt,
	Igitur neque B.	Igitur neque rationale.

Atqui

VIII. *Atqui est B, Atqui est rationale,*
Igitur & A. Igitur & homo.

PRO DISIUNCTIVA ET NEGAtiua copulatiua regulæ quatuor.

I. *Si ponis antecedens, tollis adiunctum.*
II. *Si ponis adiunctum, tollis antecedens.*
III. *Si tollis quod antecedit, ponis adiunctum.*
IIII. *Si tollis adiunctum, ponis quod antecedit.*

PRO COPULATIVA AFFIRmatiua regula unica.

Copulatiua affirmatiua, & antecedens & adiunctũ ponit.

FORMAE disiunctiuæ.) Propositionum disiunctiuarum affirmatiuarum sunt (ut antè quoque admonuimus) quatuor species. Nam aut utraque pars negatione caret, ut, aut dies est, aut nox est, estque hæc prima species: aut habet utraque negationem, ut, aut dies non est, aut nox non est: cuius sensus melius deprahendi potest in conditionali, quæ rationalis dicitur: per hanc enim examinantur obscuræ disiunctiuæ: ut suprà pluribus docuimus, ueluti hæc: aut dies non est, aut nox non est, significat priorem aut posteriorem partem tantum esse ueram (plures enim unà ueræ esse non possunt) aut prioris partis oppositum per cõiunctionem Si, consequenti coniunctum: hoc autem erit tale, si dies est, nox non est. Hanc autem euidenter ueram esse facilè perspicimus: estque hæc secunda forma propositionum disiunctiuarum. Fiunt autem duæ hæ species ex contrariis immediatis. Tertia forma & quarta nascuntur ex terminis conuertibilibus, ut, homo & rationale animal, nox & umbra terræ, dies & lux solaris, quorum alter tantum cum negatione sumitur, si consequens fit tertia forma: ut, homo est, aut rationale animal non est. Si antecedens cum negatione, fit quarta forma: ut, dies non est, aut lux solaris est. Habent autem & hæ formæ, tertia inquam & quarta, obscuram intelligentiam, proinde examinentur per communem illam regulam,

id est,

id eſt,ut antecedentis oppoſitum per coniunctionem Si,iungatur conſequenti:ut,aut homo eſt,aut rationale animal nō eſt,hunc habet intellectum: ſi homo non eſt, animal rationale non eſt, quod nunc ſatis euidens eſt. Similiter hæc in quarta forma:aut dies non eſt,aut lux ſolaris eſt,examinata per canonem ſic habet: Si dies eſt, lux ſolaris eſt, quod iam quoque clarius intelligitur. Admonui hoc propterea,ut pueri cernant propoſitionum huiuſmodi uim & naturam, & ſi qua obſcurior incidat, redactam ad communem illum canonem clarius eam explicent,eo enim ualet hoc artificium. Poſuimus autē è regione uoces ſignificatiuas, quod ex literis, quæ in omnibus propoſitionibus eædem ſunt, nulla eſt naturalis diſcrepātia,aut affinitas,& ut diſcētes hoc modo percipiant, cuiuſmodi uoces in qualibet forma propoſitionum requirantur. Naſcuntur autem ex quatuor hiſce formis propoſitionum diſiunctiuarum ſedecim ratiocinationes, & ſingulis quaternæ: nam propoſitionis diſiunctiuæ utralibet parte utcunque in aſſumptione poſita, id eſt, ſine negatione uel cum negatione, ſequitur aliquid neceſſaria concluſione ut huius, aut ſanus eſt, aut ægrotus, antecedens aſſumi poteſt affirmanter, ſed ſanus eſt, ſequitur, igitur non eſt ægrotus:ſimiliter idem neganter aſſumitur, ſed ſanus nō eſt,quid ſequatur manifeſtum eſt:ſic conſequens bifariam aſſumi poteſt, cum negatione & ſine negatione. Ad hunc modum ex unaquaque propoſitione diſiunctiua ueniunt quatuor ſyllogiſmi,cum autem formæ diſiunctiuarum ſint quatuor, fit ut ſedecim eueniant ſyllogiſmi, quorum tamen aſſumptiones & concluſiones ſæpe conueniūt. Verùm ex propoſitionibus conditionalibus per coniunctionem,ſi,quarum Trapezuntius non meminit,non poſſent totidem fieri: nam tam antecedens quàm cōſequens uno ſaltem modo aſſumi debet,ut huius: ſi homo eſt, animal eſt, poſito antecedente in aſſumptione,aut ſublato cōſequente aliquid ſequitur, ſublato autem antecedente aut poſito conſequente in aſſumptione,nihil ſequitur: ut ſi ambulat, mouetur: duas habet aſſumptiones conſiſtentes,à poſitione antecedentis ad poſitionē conſequentis, & à ſublatione conſequentis ad ſublationem antecedentis: alii autem duo non conſiſtunt,uidelicet à ſublatione antecedentis, & poſitione conſequentis:ex quo fit, ut

è prop

è propositionibus quatuor conditionalibus, octo tantum fieri possint conclusiones. Nam & conditionalium propositionum per particulam, si, sunt etiam quatuor formæ, ut suprà ostensum est. Verum Trapezuntius supersedit, quòd ex ante gressis facilè intelligi queant: si cui tamẽ addere libear, habet hic unde possit. Erant autem deprauati modi illi apud Trapezuntium, quod uitium nisi ex uocabulis deprehendi non poterat.

(FORMAE affirmatiuæ copulatiuæ.) Huiusmodi orationes ratiocinationum nunquam sunt propositiones, nec in dialectica traditur aliquis modus colligendi ex his: quinetiam carent assumptionibus: nam antecedente aut posito, aut sublato, similiter & consequente, ex partium inter se affinitate nihil sequitur: ut, Scipio & Aphricam P.R. subiecit, & Numantiam deleuit: non habet coniunctionem, quæ assumptionem aliquam respiciat, neque habent partes inter se aliquam necessitudinem, ut si assumeretur, atqui Aphricam subiugauit, aut non subiugauit, non sequitur, igitur Numãtiam deleuit. Neq; orietur ex propositione huiusmodi assumptio. Sunt igitur hic nulli syllogismi, nisi fortè dicamus esse argumentationem à coniunctis ad diuisa.

(FORMAE copulatiuæ negatiuæ.) Hæ propositiones constant eisdem terminis quibus propositiones disiunctiuę, & examinantur ad easdem regulas: proinde in his totidem possent fieri syllogismi quot in disiunctiuis, XVI. nimirum: ut, non est dies & nox: sed dies est, non igitur est nox: deinde à positione consequentis, sed nox est, igitur nõ est dies: tum à sublatione antecedentis: ut, sed dies non est: & à sublatione consequentis, sed nox non est. Trapezuntius uerò contentus fuit octo syllogismis, qui sumuntur tantum à positione antecedentis & consequẽtis: reliquos octo facilè adiicias per earundem partium sublationem. Erunt igitur & hic propositiones sedecim.

FINIS.

CLAVDIO PIO, AC CRISTOPHORO PEVTINgeris Conradi V. C. filiis, Xistus Birkius S. D.



CVM *superioribus diebus Mosellani in Disserendi rationem commentariolis editionem cogitarem, iuuenes candidissimi, mihi non denegatam esse putabam laudabilem illam nostri seculi prærogatiuam quæ singulari quadam* Gratiarum *beneficio cõcessa est his, qui quantulumcunque opera in excudendis emendandisq; autorũ monumentis insumunt, quibus nimirũ ex alienis munificos licet esse thesaurũ.* Gratulor *inquam mihi cõtigisse, quod sub uestro nomine studiosæ exhibeam iuuentuti, non quidem hoc tam demerendi officij gratia, quàm ut me hæreditario quodam iure uobis quamplurimum, ne dicam me totum, debere agnoscerem, & gratum potius quàm gratificantem ostendere animum.* Neq; *alienum uideor facturus, ut uobis potissimũ hoc genus lucubrationũ dedicem, cum tanta earum cũ* Iuris Ciuilis *studio sit affinitas, ut ipse* Tullius Topica *sua* Trebatio *uestræ professionis non incelebri uiro consecrare minimè dubitauerit: uel quia parens uester utriusq; studio tantum consecutus est, quantum ipsi natura & facultatis & prudentiæ indidit.* Quibus *dotibus ita administrat suam functionem, ut nescias ciuitásne uniuersa, an ciuiũ pro se quisque chariorem habeat.* Verum *non est institutum hic* Soli *splendorẽ inferre.* Videamus *igitur quid ad autores nostros attineat, quorum uterq; utriusque linguæ scientissimus, uterq; orator ac philosophus summus.* Haudquaquã *enim audiamus eos qui id genus commentata tanquam indigna luce non modo aspernantur, [illegible] etiam omnibus conatibus traducere pergunt.* Neque *id alio ar[illegible]to, quàm quod non in hoc scripta clamitant, ut ederentur.* Quod *fortassis concesserim de* Annotationibus, *quæ in* Quintiliani Institutiones, *atque* Gellij Noctes *manca opera quorundam quibus religio erat, quicquam, quantum sua interesset, interire, quod à tanto uiro esset lucubratum, umbram ualere iusserunt.* Vtcunque *illa se habeant, hic tamen longè alia ratio est, quæ uel ἄλογος aliquis colliget, non eas modo aliquando in publicum extrusurũ fuisse, si fata clementiora habuisset, uerum in* Topica *quoque atq; argumentationum formas eadem opera annexurum fuisse.* Nam *quid opus erat proœmium præfigere, quo recepta quadam consuetudine τὰ προλεγόμενα cũ inuentionis,*

tum

tum etiam iudicij complectitur? inchoatum tantum est opus, inquiũt. Audio. Atqui sic Apellis quoque Venus comburenda erat. Poterant inter priuatas uersari manus. Pulchre hercle narras. An est quicquã quæso in re literaria, quod cùm paucis prosit, non idem in usum cedat omnium? Nihil opinor. Porrò Vallæ institutum fuisse nemo fortaßis uel mediocriter in autorum monumentis uersatus negabit, non tam Dialecticen suo conscribere stylo, quàm ea quæ hac de re à doctißimis utriusque linguæ quibusque sunt tradita, in compendiũ cogere. Nam quæ proœmij loco prælusit ex Nicephoro integra transtulit. Cæterum quinque uoces, prædicamenta, adeoq; ipsius argumentorum species, unde quæso quàm ex Aristotele translata sunt? Si Topica spectes, an non Ciceronis atque Fabij uerba paßim se offerunt? Orsurus enim argumentorum sedes, Aristotelis diuisionem sequitur, quæ autore Quintil. consensum ferè omnium meruit: quem in Atechnis, quia fusißime de his scribit, tanquã xenagogum aliquem est sequutus. In his præterea locis ex quibus orator ipse argumenta depromit, Ciceronis quidem Topica imitatus, cæterum exempla quædam ex secundo de Oratore, atque etiam ex quinto Fabij libro mutuatus est, quædam uerò aliunde attulit. Postremo eos locos qui à personis rebusq; ducti, ὑπόθεσι peculiariter aßignantur, tantum non integros ex Ciceronis Rhetoricis trãsumpsit, repetitis κατ' ἀνακεφαλαίωσιν natura ex Quintiliano locis. Quæ adiectitia fortaßis alicui uideri poßunt, atque nescio unde in contextum irrepsiße. Per nos suum cuique sit iudicium, nobis tamen bis atque ter quod pulchrum. Verùm paulò post grauius laborat uulgata editio, eo loco quo rursum ad Ciceronem reuertitur. Nam Victus, hoc est Educationis locus, indigitatur potius quàm tractatur. Nos igitur, ut nec lector studiosus fraudetur, neque desideretur aliquid, locum integrum ex Cicerone suis interclusum signis contextui inseramus. Neque enim adducor ut credam talem centonem à Valla eße contextum. Hæc iuuenes ornatißimi obiter annotare uolui, satius nimirum ratus digito monstraße uiam, quàm ineptijs nostris, quas in hoc adornaueram, teneras onerare aures.

Valete. Basileæ, mense Octob. Anno M. D. XXIX.

PETRI

PETRI MOSELLANI IN ARTEM DISSERENDI PROLEGOMENA.



Ractaturo differendi facultatem, primum constituẽdum quo nomine uocetur, quid sit, quas habeat partes, quod sit officium, quo nomine differat à Rhetoricis: quibus deniq; rebus cõparetur. Principiò igitur omnem differendi rationem Græci, ut bonarum disciplinarum aliarum omnium, ita & huius inuentores, sua lingua uere διαλεκτικὴν appellauere, quam Fab. Quintil. disputatricẽ interpretatur. à διαλέγεσθαι, quod est disputare siue differere, id est, dicendo cum aliquo de re quapiã pugnare. Ex quo colligere est, artẽ hanc aliud esse nihil, quàm scientiam ita differendi, ut tuam sententiam de proposita aliqua quæstione, certa ratione tuearis, & alienam refellas. Nam duas habet partes hęc facultas, autore Cicerone in Topicis. Alteram quæ rationẽ exhibet argumentorum ad quanque quæstionem pertinentiũ inueniendorum, quæ quoniã certos locos & uelut sedes argumentorum commostrat, τοπικὴν nominatur, quam partem Dialectici cum Rhetoribus communem habẽt, eam octo libris eruditissimè prosequitur Aristoteles, unde Cicero atq; alii omnes qui hac de re scripsere, mutuati sunt. Estq; admirabilis huius doctrinæ usus, modo percipire & cõfirmare fructus. Porrò altera, quam iudicãdi idẽ Cicer. notat, à Stoicis, qui olim sibi dialectices primas uẽdicauere (ut in Laërtio patet) peculiariter Dialectice appellata, fortasse quòd hãc partem propriè à philosophis possessam rhetores nõ attigerũt. Vendicat autem hæc sibi iudicium atq; examen omnis quæstionis, dum exploratur ad certas suas regulas: primũ in singulis uocibus quæstionem ingredientibus, quã uim habeãt, genúsne sit aliquid an species, propriũ an diuersum ab alio, hoc est, differentia an accidens: itẽ quod habeat genus quæque uox, idq; remotum an proprium: quas species, quæ indiuidua: quo differat à cæteris: quid sibi proprii habeat, quid accidens, ut quæq; res definitione sit explicanda, ut diuisione ex sua uniuersitate in partes distrahenda: ut denique singulæ

Dialectice.

gulæ uoces ad perficiendam argumentationẽ sint coniungẽdæ, quibus rebus disciplina hæc potissimum differt à Rhetorica, tum & illo, quòd quæ orator magnifico orationis splendore molitur, eadem dialecticus breuiter & argutè ueluti punctis quibusdam colligit, alioqui materia eadẽ est, & Dialecticæ & Rhetoricæ, nimirum omnis res quæ in disputationẽ adducitur, quã causam Aristoteles adfert in Rhetoricis suis ad Theodecten, cur dialecticen rhetorices ἀντίστροφον dixerit. Postremò comparãda est hæc facultas natura, ratione & usu. Nam naturæ debetur quod quidam temerè (ut inquit Aristoteles) nullius artis, sed ingenii beneficio ratiocinãtur, & quid in quaq; re probabile sit, statim uidẽt. Hãc præceptor dare non potest, ut nec agricola fœcunditatem solo præstat, sed datam uel mediocrẽ augere, ornareq́; cultu suo potest. Rationem uerò hic uocamus certam artis traditionẽ à præceptore petendam. Quanquam D. Augustinus in Confessionum suarum libris gloriatur Dialecticam (quam in iudicãdo positam diximus) sine præceptoris opera sibi perceptam tamen non negligenda est admonitio Ciceronis ad Trebatium præscripta, NULLAM artem literis sine interprete, & sine aliqua exercitatione percipi posse. Et Augustino facilius fuerat hæc de Dialectica gloriari, quàm ipsa lucubrationum suarum facilitate probare: tametsi natura & hoc, & multò maiora potest. Vsum deniq; qui omnium magistrorum præcepta superat, studiosus quisque pro se sibi imperabit, eumq́; præceptoris sedulitas à discipulis exigat. Plutarchus in uita Aristotelis uel ideo potissimum laudãdum putat, quòd quæ artes antehac quamplurimæ disseparatæ & diuulsæ fuerint, tandem eas certa quadam cognoscẽdi arte in libros aliquot retulerit. Habes & quod nomen sit huic arti, quidq́; sit ipsa, quasq́; habeat partes, quo differat à cæteris artibus, quibus deniq; rebus conquiratur. Ex quibus facile est colligere officium dialectici esse, non solùm dicenda inuenire, uerumetiã inuenta sic locare ac indicare, ut quicquid in re aut ueri, aut falsi sit, deprehendas, ut non iniuria Antonius apud Ciceronem de Oratore, & Aristotelem, qui utranque Dialectices partem complexus sit, laudat, & Stoicos qui de inueniendo nihil tradunt, reprehendat.

Rhetorica à Dialectica differt.

Quibus cõparatur dialectica.

Lib. famil. epist. 7.

GEORGIVS VALLA
BERNARDO SALVATICO,
Genuensi primario patricio
S. D. æternam.


Aepenumero à me, optime Bernarde Saluatice, popoſciſti, ut quæ ab interuentionibus uacuus tibi ad me uentitanti de ratione differendi ex quotidiano uſu lingua prodideram, quò tenaciori hærerent memoriæ, ſcriptis concrederem, quandoquidem quẽquam alium nõ ſatis nactus eſſes, qui aut id poſſet, aut qui tam amicè id præſtare moliretur. Rem certè mihi non arduam fore cenſuiſti, quando totam dialecticam facultatem, ſiue ad rhetoricam, ſiue ad cæteras tendentem diſciplinas pluribus aliis fueram uoluminibus amplexus. Quamobrem conciliata iam pridem inter nos amicitia, tuo obſequendum ardenti ſtudio, nec longius differendum exiſtimaui, tum quòd magnifica, & ampliſſima domus tua id ab omnibus eruditis, nedum à me expoſtulet, tũ quod honeſtiſsimum tuum eſſe deſiderium noſtra diffiteri non poteſt amicitia. Siquidem citra hanc unam facultatem nulla integrè teneri diſciplina, nec alia ratione cunctis quotidie uſurpatis uulgò ſermonibus, ubi quæpiam diſceptatio oboriatur exurgatq; ambiguitas, ratũ quicquam effici poſſe uideatur, unde fit ut non iniuria Plato & Platonici thrincum, quaſi faſtigium dicas, cunctarum uocitarint diſciplinarum, quòd quaſque res magnas & magnopere expetẽdas, oratione, ſine hac duce tranſigere poſsit nemo: ut iure ne tibi quidem tam ad priuata quàm ad publica munia obeunda ſine huius facultatis ſacris accedendum cenſueris. Proinde agè mi Saluatice, ſalua ſi modò uis tibi omnia, hanc demum unam toto pectore amplectitor diſciplinam.

θριγκὸς corona muri apud Lucianũ & Homerum.

Vale.

GEORG

GEORGII VALLAE PLACENTINI DE EXPEDITA RATIONE ARGVMENTANDI LIBELLVS.

* *
*



VEMADMODVM *qui legē* Ex Nicephoro
di, & lectorum ſenſus iter ſcire deſi- tranſtulit.
derant, primùm elementa ac literas
diſcunt, inde ad ſyllabas, à ſyllabis ad
dictiones, quæ partes dicuntur ora=
tionis, ab iſtis ad orationem perue=
niunt: ita qui omnium diſciplinarū 1.
cognoſcere cupiunt inſtrumentum, rationem diſputandi, in
quinq; uocibus quæ uulgò prædicabilia dici ſolent, & cate= 2.
gorijs, quæ prædicamenta nominantur, primò debent eru=
diri. Inde ad quæſtiones argumentorū, locos, locutionemq;
tranſire. Poſtremò argumentationibus communiri: ut ſua
tueantur, & aliena refellant.

SCHOLIA.

ITA qui omnium diſciplinarum cognoſcere cupiunt inſtru 1
mentum.) Suppeditat enim rationem obſcura ſiue confu-
ſa definiendi, uniuerſa diuidendi: uera, ratiocinatione confir
mandi, & falſa refutandi. Quibus rebus in artē ac diſciplinā
redacta ſunt ab Ariſtotele philoſophica, cū ante illum confu
ſa fuerint, & indigeſta, ut quis quæ ſolo uſu arripuiſſet, iacta-
ret. Quam induſtriam Plutarc. pro materia Ariſtotelem lau-
dandi potiſſimū habet in illius uita, & L. Craſſus apud Cice-
ronē, hac ratione teſtatur Ius Ciuile in artē redigi poſſe. Nec
alia ratione Cicero Ser. Sulpitiū in iure Ciuili Scęuolę ante-
ponit, quàm quòd illa quę Scęuola lōgo uſu dępræhēdiſſet,

 ſparſa

ſparſa & cōfuſa,ea dialectica ratione artificii modo complexus eſſet, quod & in omnibus liberalibus diſciplinis uſu ueniſſe idem in perſona Craſsi ſcriptum reliquit.

(QVAE uulgò prædicabilia dici ſolent.) Voce Latina uiolenter ad Græcum uocabulū afflicta. Grçci enim omnē uocē quæ de alio uel negando uel affirmando rectè dicitur, κατηγόρημα nominãt, à κατηγορεῖν, quod eſt de aliquo dicere. Porrò quoniam ad intelligenda aliorum quoque commentaria præſeruemus, ſciendum in uulgatis libris Dialecticorum cæteras orationis particulas indeclinabiles, aduerbia, coniunctiones, præpoſitiones, interiectiones nominari συγκατηγορήματα, id eſt, quaſi tu dicas, cōprædicabilia. Sunt enim prædicabilium ueluti appendices & uincula, quibus illa cohærent, ut omnis uox humana ſignificans, quatenus ſignificat dialecticam rationem, ſit uel κατηγόρημα, uel συγκατηγόρημα, & omne catagorema ſit uel genus, uel ſpecies, uel differentia, uel proprium, uel accidens. Nam propria nomina, quia infinita ſunt, in notam non cadunt, ut ait Plato.

DE SIMPLICIBVS VOCIBVS.

DE ſimplicibus itaque uocibus ac ſignificatis primò, mox de coniunctis, quàm breuiter ac dilucidè à nobis fieri potuerit, loquemur. Receptum igitur apud omnes eſt philoſophos, prædicamenta numero decem eſſe, quaſi omnium quæ in diſputationem ueniant, quæpiam elementa: quòd ſimplices uoces, ſimplicem ſignificatum oſtendant, & per ſe natura ſuapte inſpiciantur: Eſſentia, quantitas, qualitas, ad aliquid, ubi, quando, facere, pati, compoſitum eſſe, habere, quæq; ſub ipſis ſunt, ac ab eis diſtributa: ut corpus, uacans corpore: animatum, inanimatum: quod ſub ſenſum cadit, & ſenſus expers, Zoophytum, quod ex ſtirpe & animali conſtat, ut urtica marina, & ſpongia: ſentit ſiquidem propius accedentes: animal ratione, & rationis expers: homo, equus, colūba, ſcōbrus, apes, aliaq; quæ inſecta dicuntur: dipſas, & ſimilia; quæ ſpecies ſub eſſent

essentiæ genere positæ. Ita quæ sub cæteris iam memoratis sunt prædicamentis innumera. Hæ uoces ut simplices
2 *(rem enim unam numero referunt) ita principia sunt, quæ ad omnem disputationis ingressum prædiscenda, à quibus tanquam literis, ad nexum aliquem, tanquam ad syllabas,*
3 *peruenimus: ut homo, equus: uincit, currit: ut sit, equus currit, homo uincit. Decem nimirum sunt hæc principia, quia*
4 *neque ens, nec res, nec aliud simile, principij nomen habere nisi confusum potest. At decem iam nominatorum prima,* Ens. Res.
5 *generalissima dicuntur: quæ sub illis, subalterna. Tum etiã*
6 *species, quarum quæ ultima: & à qua statim ad indiuidua descensus est, specialissima nominatur: ut homo, equus, anser: at essentia genus generalissimum, supra quod genus aliud non est.*

1 (PRAECEPTVM igitur.) Cùm pòst copiosius explicatiusq; de singulis prædicamentis tradat, hic tamẽ ut ipsius doctrinæ uelut gustu quodam discentis studium ardentius faciat, usum prædicamentorum utcunq; ostendit, quasi per transennam. Indicat enim & definitionis, & diuisionis, & argumentationis (quæ tria capita sunt officii Dialectici) fontes esse, atque adeò omnium doctrinarum scaturigines, ipsa prædicamenta.

2 (REM enim unam numero referunt.) Adiicit hæc ut disseparet prædicamenta prædicabiliaq; ab æquiuocis, hoc est, talibus uocibus quę plures res simul referant, ut canis refert res plures numero, sydus cœleste, animal domesticum, certũ item piscem. Nec putandum est eius generis uocabula ab opere dialectico segreganda esse: sed si quando ueniant in disputationem, constituendum antè est cum aduersario, quod significatum ex multis impræsentiarũ sequaris, & sic disputatio omnis ex pacto partiẽda. Periculum est ne percipiatur hæc doctrina, non antè rectè constituto, quid sit prædicabile, quid item sit Prædicamentum, ut his inter se conueniat, ut denique differant. Est ergo prædicabile uox significatiua rei, quæ de alio rectè prædicatur, hoc est, dicitur: ut planta, Aequiuoca.

prædicatur enim rectè de arbore, cùm dicamus uerè, Arbor est planta: ut numerus, dicitur enim uere de binario: ut uirtus, nam dicitur de iustitia: ut pater dicitur de quocunque filium habente: ut deniq; alia quæ sunt in categoriis. Et quia comparatū est usu uenire, ut quinque modis aliquid de aliquo dicatur, inuentæ sunt à ueteribus philosophis appellationes quinque, quibus hi quinque modi prædicandi apertius, certiúsque in docendo explicari possunt. Hæ sunt Genus, Species, Propriū, Differentia, Accidens, ut quicquid de aliquo dicitur, appelletur eius aut genus, aut species, aut proprium, aut differentia, aut accidens, de quibus postea explicemus. Prædicamenta uerò sunt talium prædicabiliū adceruationes, & ueluti greges, quorum singula ad suū genus referantur, ueluti ad caput totius corporis, ad totum partes, ut ad ducem milites. Quod enim in exercitibus, qui ex signiferis, centurionibus, legatis & singulis militibus constant, sunt centuriones, legati, milites denique, unum summum imperatorem sequentes, hæc sunt in prædicamentis genera, species, differentiæ, partes, atque unū summum genus respiciunt, ex quo promanant, uelut ex fonte riui. Tum summum illud genus, & ad quod omnia redeunt, diuiditur, cùm definitiones sunt explicandæ, quemadmodū in descriptione prædicamenti facile est uidere. Ex quibus omnibus satis colligitur omne prædicabile esse in aliquo prædicamento, ueluti suo grege, & cuique prædicabili suum summum esse genus, ueluti quendam ducem, sub cuius signis sit inquirendum, si quid dubites de eo. Non autem prædicabile esse prędicamentum, ut nec oues singulæ sunt grex: nec centurio aut miles exercitus: etiam si uniuersæ oues gregem constituunt, & signiferi, centuriones, legati, lixæ ad exercitum pertinent.

Quinque uoces.

Prædicamenta.

3 (VT homo, equus: uincit, currit.) Tametsi hæc doctrina, non tantū est, de summis decem generibus, quæ rectè dixeris principia & fontes disputationū, sed & de uocibus aliis, quæ ex summis illis ueluti fontibus deriuantur, eodémque recurrūt, & uoces à Valla positę, homo, equus: uincit, currit: partim sunt in principio essentiæ, partim uerò ipsius actionis: tamē cùm infimæ sint species, nō optima causa hic, tanquam principiorum exempla ponuntur. Et ut magis dialecticum

ἐticum fuerit, per propositionis formam nexum simplicium uocum exhibere, sic, an homo uincat, an iustitia sit uolūtas.

4 (QVIA neque ens, neque res.) Quanquàm enim, inquit Porphyrius, ad Græcam linguam respiciens, Ens (ὢν Græcè) dicitur de substantia siue essentia, deq; cæteris prædicamentis, non hoc fit ratione impari: perinde atq; animal non inæquali ratione prædicatur de uiuo animali & de picto. quid enim est imago animalis, si comparetur ad animal uiuum? Hoc quodammodo est accidentium. Nam collata ad essentiam per se subsistentem, cum illa tantùm essentiæ inhæreāt, uelut quædā additamenta. Quæ causa fuerat Aristoteli prædicamenti uim omnem in decem summa genera explicandi, nulla interim mentione entis facta. Quanquàm Simplicius testatur Architam Tarētinū Platonis præceptorem in suo libro κατηγορίαν diduxisse in decem genera, ut qui librum suum inscripserit, de decem generibus Entis. *Vide Victorinum quoq; in Rhetor. Cice. nō obscurè hoc negotium tractantem.*

5 (SVBALTERNA.) Media quædam, quæ relatiua ad superiora sunt species ad inferiora sunt genera. Nam cùm generis uox atque natura (ut pòst copiosius docebitur) sit dici de uariis speciebus, siue subiectis, & hæc cadunt maximè in summa illa genera, quæ uoces cōmunissimæ, rectè Græcis γενικώτατα, Latinis summa genera appellātur: sunt enim prædicabilium omnium primi fontes, & gregum (quæ prædicamenta diximus) quasi duces, nec agnoscunt aliquod superius genus, id quod in explicatis ordinibus prædicamentorum ipsis oculis uideri possūt. Porrò quæ in ordine prædicamentali media sunt, hoc est intra summū genus, & infimam speciem posita, ea quia nunc generum, nunc specierum naturam sortiuntur, Græco uocabulo significātius ὑπάλληλα nominantur, hoc est, eam naturam habentia, ut cùm subiecta sint generi superiori, tamen ad alias uoces comparata, superiora etiam genera reperiantur. Etenim ut superiorum sunt species, ita inferiorum sunt genera, perinde atq; in exercitu præfectus alæ, si referatur ad summū imperatorem, subditus est ei miles: si uerò ad suam alam, cui ipse præfectus comparatur, ducis rationem subit. Vtq; proauus aliquis collatus ad filium, nepotes & pronepotes, summum familiæ principium rectè censetur, cùm tantùm sit pater, & non etiam filius. Et filius neposq; etiam pater est suorum liberorū: filius *ὑπάλληλα.*

autem antecedentis parentis : pronepotes autem tantùm pronepotes sunt : Ita in serie prædicamentali summa genera sint tibi proaui : media uerò, nũc filii, nunc parentes. Infimæ autem species sunt generis ultimi. Nam hanc imaginem explicandis prædicamentis idoneam attulit Porphyrius.

Indiuidua. A QVA statim ad indiuidua.) A qua diuisione generum summorum, per subiectas species facta, tandem peruenitur ad ἄτομα: sic dicta, quod deinceps in alias diuidi rectè nequeāt. Talia sunt in substantia singuli homines, singuli boues, singuli equi, singulæ columbæ: in quantitate hic numerus, ille numerus, singuli numeri: in qualitate singulæ scientiæ, singulæ uirtutes. Vsus huius doctrinæ est, ut discamus quodq; genus in species sibi proximè subiectas distrahendũ esse: ut essentiã in spiritũ & corpus: corpus in simplex & cõpositũ. Cuiusq; uerò speciei definitionẽ componẽdam esse ex genere & differentia proximè suprà positis. Deinde summa genera non posse definiri, neque indiuidua deinceps diuidi.

DE QVINQVE VOCIBVS.

Qvinque autem uoces, quæ cognitu diximus necessarias his principiis alligantur : quæ sunt genus, species, differentia, proprium, accidens, quæ inuentæ sunt, quò definiendi ac diuidendi nobis innotescat disciplina.

HIS principiis alligantur.) Nam hoc est, omnia prædicabilia, omnes uoces significatiuæ pertinentes ad aliquã disputationẽ artificiosam ita sunt cõiuncta & uelut subiecta summis generibus decẽ suprà enumeratis, ut magis doctrina atque intellectu, quã re ipsa inde separentur. Omne enim prędicabile aut est genus, aut est species, aut est differentia, aut propriũ, aut accidens eius ad quod refertur in quæstione ad disputandũ proposita, uerbi gratia, Sit proposita quæstio, an Rhetorica sit pars humanę honestatis, hoc est, uel sciẽtia, uel uirtus: hic pars humanę honestatis quęritur an sit genus rhetoricæ, an aliquo alio modo uerè de rhetorica dicatur: & dialecticæ diuisionis peritus statim uidet esse genus, cũ omnis honesta facultas aut sit posita in cognoscẽdo, aut in faciẽdo. Prior pars sciẽtia appellatur, cui ceu generi subiiciũtur Theologia, Iuris prudẽtia, Medicina, Rhetorica, &c. Sed si dispute tur,

tur, an Rhetorica ſit rebus publicis pernicioſa, tum diſputatio exiſtit, an quod accedat Rhetoricam, ſit pernicioſum, ut pernicioſum eſſe ſit Rhetoricæ non genus, neq; ſpecies, neque differentia, neq; proprium, &c. Ex quibus quoque rectè colligis omnem quæſtionem infinitam, id eſt, artificioſam, ſiue ad artem pertinentem, conſtare ex duabus potiſsimum uocibus, quarum utralibet neceſſariò eſt uel genus, uel ſpecies, uel proprium, uel accidens. Quòd autē harum quæque uox in quæſtione poſita ſit, uidere ex tempore euidentiſsimi hominis eſt, & in diſſerendo ualde exercitati. Nam hoc explorato facile eſt argumenta quælibet adferre ex locis generis, & ſpeciei, differentiæ, proprii, & accidentis. Nam ſunt hi fontes argumentorum, de quibus poſteà docebitur. *Nam finitā ingrediuntur ἄτομα.*

2 (QVAE inuentæ ſunt.) Imò accommodatæ ſunt in artificium dialecticum, propterea ut per eas natura prædicabilium eorū inter ſe cōuenientium, & diſcrimina apertius tradi poſſent & certius, ſed cognitis naturis, diſcriminibus uocum ſimpliciū, poſtea demum ratio definiendi diuidendiq; aperitur, & remotiorem paulò cauſam aſsignaſſe Valla uideatur. Quia Georgius Valla definitionē generis & ſpeciei præteriit, addi illas fuerit operæ pretium. Nam cùm præter indiuidua, quæ ob infinitam multitudinē ab arte excluduntur, omne prædicabile eſſe quod ad prædicamentū pertinet, ſi uel genus ſit, uel ſpecies, uel differētia, uel propriū, uel accidens, proximū fuerat ſecundum diſciplinā noſtrā, quæ eſt per definitionem & diuiſionem, explicare quid eſſet genus.

GENVS.

EST ergo genus prædicabile, quod de uariis ſpeciebus ita prædicatur, ut quærēti de natura & eſſentia ſpecierū, per quid eſt, aptè reſpōdeatur, quale eſt in grege eſſentiæ, arbor ad ſuas ſpecies collata: dicitur enim de pino, abiete, quercu, & pyro, quę diuerſę ſunt ſpecies inter ſe, & tñ ad genus arboris pariter pertinēt. Ac ſi quis quærat, quid eſt pinus? reſpōdes arborē eſſe. In quātitate uerò numerus: dicitur enim de duernione ternio, & cæteris numeri ſpeciebus diuerſis. Rectè reſpondetur quærenti, quid eſt quaternio? eſt numerus.

SPECIES.

PORrò ſpecies eſt prædicabile de quo genus dicitur, ut pinus collata ad arborem, eius eſt ſpecies, quia arbor rectè

m 5 dicit

dicitur. Et species maximè infima est prædicabile, quod de indiuiduis & sensu expositis, singularibusq; pariter dicitur, apteq; ad quæstionem quid, respondetur, ut homo species est Petri, Pauli, Ciceronis, de quibus singulis dicatur. Quid enim Petrus est quærenti, rectè respondebis, homo. Sic binarius in quantitate species ad singulos binarios, quibus homines singuli numerantur.

DE DIFFERENTIA.

Differentia oppositionem in diuisione ostendit: ut substantia & accidens, corpus & incorporatum, animatum & inanimatum, animal & uacans anima, rationale irrationale. Vbi est uidere hominem differentiam non dici, quòd in diuisione non habeat opposita: nam homini equus in diuisione, aut aliud animal, non opponitur. At species dicuntur, homo, equus, anser, pagarus. neque animal opponitur zoophyto, quia non è regione opponuntur. Alioqui differentia dicitur, qua genus excedit species, ut homo: excedit enim animal rationali: dicitur siquidem homo animal rationale: sed animal tametsi rationale habet potestate, non tamen etiam actu.

SCIENDVM est ex Porphyrio differétiæ uocabulum latissimè patere. Nam cùm omnia, quibus rerum discrimina significantur, uocabula ambitu suo cōplectatur, primū quod quoquomodo ad tēpus & accidētariò differre facit, differētia dicitur. Cuius generis est, quòd homines inter se differūt ætate, dum alius est puer, alius adolescens, alius senex: alius doctus, alius indoctus: alius stans, alius sedēs. Et quod idem homo à se ipse uariat, nunc puer, nunc adolescens, nunc sobrius, nunc ebrius. Deinde differentiæ rerum & dicuntur & sunt: quæ quanquàm præter essentiæ necessariam constitutionem obtingunt, tamen ita constanter inhærent subiectis suis infixa, ut inde separari uix possint. Quod genus accidentia inseparabilia appellant, ad quem modum nigredo discrimen est corui, albedo cygni, cani pili lupi, fuluedo leonum. Postremò propriæ differentiæ sunt, quæ talia discrimina signific

gnificant, qualia pertineant ad rerum quarum sunt discrimina, essentialem compositionem. Suntq; eius compositionis quædā partes, quæ si detrahuntur, eædem quæ prius fuerāt, species nō permaneant, ut est rationale differentia hominis. Differt enim ita homo ratione à cæteris animantibus ratione carentibus, ut pars hominis sit discrimē, qua detracta nō maneat homo. Nam animā rationalem si detrahas reliquis quæ in homine intelliguntur, futurum est ut cætera sint bruta, neque pristina illius animalis species subsistat. Quarum differentiarum (ut quæ proximè naturas rerum explicent) usus est maximè, ut in diuidendis generibus, ita in definiendis speciebus: sed quia in paucis rebus perfectæ differentiæ uel cognoscuntur, & fortasse cognitæ nondū nomina, id est uocabula, sortitæ sunt, ferè propriarū differentiarū penuria, in diuidendo ac definiendo ad communes qualescunq; differentias cōfugimus, exemplo atq; doctrina Aristotelis, qui cū in libro primo περὶ ψυχῆς animæ naturā definitione explicaturus, testatur accidentariis affectionibus animæ usurū se loco perfectarum differentiarum: nimirum quòd & accidentia rerum obseruata magnū momentū ad cuiusq; rei essentiam explicandam adferant. Quo loco admonendū est nihil moueri hanc doctrinam, per hoc quòd quæ pòst de accidētibus tradentur, ea & hic ad differentiæ tractationem referantur: nihil enim uetat, quin eadem uox uariè accepta ad diuersa prædicabilia pertineat. Sicque nūc species, nūc genus, de qua uicissitudine suprà dictū est: ita eadem differentia nunc proprium, nunc accidens & sit, & dicatur. Vt enim in re domestica eadē mulier est & uxor, & coqua, & nutrix: ita idem prædicabile eadem ratione subit diuersas appellationes. Vt nigredo, si ut Aethiopē differre facit à cæteris hominibus consideretur, differentia & est, & dicitur: ut si hic color proprius, uel communis sit habitantibus in uicinia Solis uel occidētis uel orientis, Aethiopū propriū erit: Si uerò hic color corpori hominum inhæret, rectè dixeris esse accidens: ut idem sit differentia & proprium & accidens, rationibus tamen diuersis.

De differentiarum uerarum penuria uide Rod. Agri. cap. 5. libri primi.

DE PROPRIO.

Proprium in speciebus spectatur: ut est propriū hominis risibile, equi hinnibile, canis latrabile. Diuiditur proprium

prium quadrifariam. In id quod soli inest speciei, non utique toti, ut homini geometram esse: uel toti quidem, sed non soli, sicut homini bipedem esse: uel soli & toti, sed non perpetuò, ut homini canescere: uel soli & toti & semper, ut homini risibile, qui tametsi non semper rideat, potentia tamen semper: ideo non ridentem, sed risibilem dicimus, & perinde proprium est, quod uniuscuiusque suum.

(NON utique toti.) Id est, non omnibus partibus. Sunt autem speciei partes indiuidua.

ACCIDENS.

Accidens autem est quod adest & abest præter subiecti corruptionem, ut albor, nigror, pallor, sedere, stare. Est tamen accidens aliud quidem separatile, non separatile aliud: separatile quidem, sedere: inseparatile uerò, aduncum nasum esse, uel repandum, uel simum, & similia. Ex his est uidere in prædicamentis faciem & immutationem quinque uocum elucescere. Nam quemadmodum in hominis conditione sunt ascendentes, & descendentes, & in obliquum tendentes, & cognationes: ita in prædicamentis eam quinque uoces faciem custodiunt, & ascendentium quidem locum tenent genera, descendentium uerò species, sicut obliquè euntium differentiæ, at mulier proprij: cognationes porrò accidentium.

ACCIDENS autem est quod adest & abest.) Accidens est prædicabile, quod de subiecto & negatur & affirmatur, integro interim subiecto manente. Subiectum autem hic intellige, cui accidentia inhæreant, ut homo subiectũ est: albũ, nigrũ, calidum, frigidũ, sedens, stans, accidentia. Nã hæc pro tẽpore de homine & affirmãtur rectè, & negantur. Est enim homo nunc albus, nũc niger: nunc frigidus, nũc calidus, nũc tepidus: idemq; homo alias sedet, alias stat, nec interim quicquã decedit homini, quo minus maneat homo. Sic essentiã animæ subiectũ esse scientiarũ & uirtutũ, & quæ animæ nunc adsint,

adsint, nunc non adsint. Porrò aptiora sunt exempla huius prædicabilis, album, nigrum, calidum, sedet, stat, quàm albebo, nigredo, pallor, quæ tria non prædicantur ut accidentia, sed ut species coloris de singularibus & indiuiduis colorib⁹. Neque enim rectè dixeris, paries est albor, nigror, pallor: sed hic color est albor, ille nigror, iste pallor: & sedere ac stare sunt species ipsius situs. Valla ipsa re quæ accidens est, pro uoce significatiua, quæ ut accidens de subiecto dicatur.

DE PARTIBVS PROPOSITIONIS.

Simplices quoque uoces sunt subiectum & prædicatum. Subiectum de quo aliquid dicitur. Prædicatum quod dicitur de aliquo: ut, Plato disputat, hoc ipsum Plato subiectum, de quo dicitur, disputat. Ita prisci, quibus accedimus potius quàm iunioribus, qui prædicatum, subiectum, & copulam partes faciunt orationis: de qua re, ne sim hoc loco nimius, disputare in præsentia detrectabo. Prædicatum igitur aut essentialiter dicitur de subiecto, aut essentiæ adhærendo. Si adhærendo essentiæ, facit accidēs: sin essentialiter, aut de indiuiduis dicitur & non speciebus, ac speciem facit: uel de speciebus (seu formas libet, ut Ciceroni placuit, In Topicis. *appellare) dicitur: aut de unica specie, & facit proprium. de uno siquidem solo risibile prædicatur: ita de uno hinnibile: ac unumquodque proprium de sua specie prædicatur, aut de pluribus speciebus prædicatur, & uel in eo quod quid est, ac facit genus: nam dicenti, quid est homo? respondemus, animal. & quid animal, occurrimus, essentia. Tam enim animal quàm essentia genus: essentia quidem animalis, animal uerò hominis. Aut in eo quod quale quid est, & facit differentiam. Interroganti enim, quale quid est animal homo? occurritur, rationale, quæ differentia est: & qualis, quæ est essentia animal sciscitanti, oc*

ti, occurritur animata sensibilis: differentiæ siquidem hæ sunt animalis. Sequuntur utpote inferiores species ipsum genus: inde differentia, quòd proprio sit uniuersalior: inde proprium, quòd essentialibus magis affine sit & cognatum, in eo quod quid est prædicatum. Pòst accidens, utpote essentiæ aduentitium prædicatum in eo quod est quale.

DIALECTICA est argumentationum artifex: argumentario autem componitur ex propositione, assumptione, & connexione, id est, conclusione, quarum singulæ ex simplicibus uocibus significatiuis conficiuntur. Porrò uocum significatarum ad unum summum genus pertinentium aggregatio artificiosa prædicamentum appellatur, cuius generis aggregationes sunt decem: quæ singulæ summi generis sui appellatione denotantur, prædicamenta decem appellantur, & ambitu suo prædicabilia complectuntur. Prædicabile uerò est uox significatiua communis, quæ de pluribus rectè dicitur. Vnde prædicabiliũ aliud genus, aliud species, &c. Postremò quia hæc prædicabilia constituũt quæstiones & propositiones, enuntiationesq́ue, ut quarum sint partes, necessariò accidat, ut hæ partes altera de altera uel affirmando, uel negando dicatur. Vtra ergo de altera dicitur, ea in quæstione aut propositione aut enuntiatione Græcè τὸ κατηγορούμενον, à Latina schola Prædicatum nominatur. De utra uerò prædicatio hæc fit, à Græcis ὑποκείμενον, id est, suppositum siue subiectum: ut, iustitia est uirtus: hic uirtus prædicatum, iustitia subiectum est.

(PRAEDICATVM igitur.) Sicut essentiam & naturam explicet eius rei de qua dicitur, ut essentialiter, de equo, in hac enuntiatione, equus est animal: animal enim exprimit essentiam & materiam equi: & uirtus essentialiter dicitur de temperantia, exprimit enim essentiam & uim temperantiæ: Inde est quod quæ essentialiter de aliquo dicuntur, ea sola uerius & propius definitiones eius constituant: qualia sunt genus & differentia.

(VT Ciceroni placuit appel.) Formas uoluit Cicero appellare species, partim quòd usum uocabuli speciei sua ætate nondum receptum formidarit, partim quòd genus cõfusum

quoddam

quoddam est,& generalitate sua innolutius quàm ut uideri ab intellectu statim possit. Et forma illud dicitur,quod conspectui sese offert, putaui significantius dici formas eas scilicet res,per quas generis natura in partes distincta ueluti oculis conspicienda subiicitur. Sic essentia genus in obscuro est, & ueluti deformis, nisi in formas suas,id est,species diducatur, per diuisionem uidelicet. Essentiarum enim alia corpus est,alia spiritus. Cicero in Topicis.

(ET facit proprium.) Mirum cur proprium quod re uera accidens est ex speciei natura pullulascens essentialiter, & in eo quod quid est,prædicari uelit Valla,præter omnium ueterum(quod quidem sciam)sententiam. Sed suspicor illum huc adductum, per hoc, quòd proprium quarto modo dictũ ita accidens sit, ut quia ex naturalibus principiis ipsius speciei existit,& totam speciem uelut occupat,naturalẽ rei proprietatem pro natura,hoc est, essentiæ parte acceperit: nã quod addit proprium prædicari in eo quod quid est. tam nõ est in uero,ut & differentia,quæ citra controuersiam essentialiter prædicatur, essentiæque pars est, tamen in eo quod quale quid est,prędicatur. Si enim quęrat aliquis,qualis est homo? recte respondes,est rationalis,ridet.

VOCVM SIMPLICIVM ALIVD DISCRIMEN.

1. *VErum enimuero quoniam prædicantiũ quædam æquiuoce prædicantur, quædam uniuocè,quædam denominatiuè, quia in libris* Expetendorum ac fugiendorum *plurimis id prosecuti sumus, satis erit cognitionis tenuis cau-*
2 *sa paucis compræhendisse.* Aequiuocum *igitur est, cuius nomen solum commune: præter nomen uerò, essentiæ ratio* συνώνυμα.
alia: ut hæc uox canis, terrestris est & marini & cœlestis. Præter nomen autem ratio essentiæ cuiuslibet horum propria ac sua est: aliam siquidem sciscitantibus terrestris, aliam marini, aliam cœlestis reddemus definitionem. Vni- ὁμώνυμα.
3 *uoca porrò, quorum nomen commune, & præter nomen ratio essentiæ eadem, ut animal & homo & equus, quibus*

bus præter nomen ratio essentiæ eadem, essentia siquidem
συνώνυμα. *animata sensilis tam homo quàm equus. Denominatiua porrò, quæ ab alio casu differunt, præterq; nomen habent appellationem: ut à grammatica grammaticus, à musica musicus, quæ & nominis, & rei habent communicationem, & differentiam rei, & differentiam nominis, sicut etiam ostendit definitio. Quæ enim sunt ab aliquo, communicant in eo quod ab eo, sed non unum & idem sunt: differunt siquidem casu, ut grammatica grammaticus, in reliquis tamen communicant. Illud pariter nos ne lateat, æquiuocis è regione opponi polyonyma, rem in nominibus differentibus habētia communem, ut ensis, gladius, machæra, spatha. Vniuocis è regione obijci heteronyma, quæ differentiam rei & nominis habent, ut homo & albor, nam alterum animal, alterum color. Locum medium inter hæc quatuor obtinens, homonyma, inquam, polyonyma, & synonyma, & heteronyma, est paronymum. Quatenus enim communicationem habet nominis, aßimilatur æquiuocis seu homonymis: at dißimile polyonymis & heteronymis. Quatenus porrò nominis habet differentiam, aßimilatur polyonymis, & heteronymis: at dißimile æquiuocis & uniuocis. Rursus ubi rei habet communicationē, aßimilatur uniuocis & polyonymis, dißimile æquiuocis & heteronymis: ubi rei differentiam habet, aßimilatur æquiuocis & heteronymis, sed dißimile uniuocis & polyonymis.*

Margin notes: πολυώνυμα (beside "quis tamen communicant"); ἑτερώνυμα (beside "spatha").

(VERVM enimuero.) Cùm uocum, quarum naturam, uim ac proprietatem, prædicabilium ac prædicamentorum doctrina complectitur, aliæ simplici significatione unius cōditionis rebus conueniant, deque iisdem prædicentur, idq; secundum traditam doctrinam, uel ut genera, uel ut species, uel ut differentiæ, uel ut propria, uel ut accidentia: aliæ uerò multiplici significatu præditæ, diuersæ naturæ rebus aptentur,

tur, operæpretium fuerit & hoc discrimen non ignorari à Dialecticis, qui sibi electam quandam iudicii de uocibus faciendi autoritatem suo quodam iure uendicant. Quamobrẽ Valla noster postea quam qua' emcunq; prædicabilium, prædicamentorumq́; gustum exhibuit, antè de homonymis synonymisq́;, id est, duplici uocum ratione differit, quàm singulorum prædicamentorum traditionẽ accuratius ingrediatur, idq; Aristotelis summi artificis exẽplo, qui ab hac uocum differentia prædicamentorum doctrinam auspicatur.

(AEQVIVOCVM igitur.) Circunspectissimè fec t Aristoteles, qui & ὁμώνυμα καὶ συνώνυμα (sic enim uocat ille significationis uocabula) pluratiuo numero definire uoluit. Nam cùm significata necessariò ad sua signa, id est, communes uoces referantur, & ex ipsis ueluti pendeant, atque hic uniuoca pariter & æquiuoca intelligenda sint significata, cum suis signis ad cõmune aliquod nomen respicientia, nõ poterat aliqua plena fieri explicatio, nisi multa; hoc est, ut communis uocum haberetur ratio, & quæ sub communibus uocibus comprehenderentur, eo modo intelligerentur. sicut homo, bos, leo, asinus, nõ per se, sed ad animal cõmune relata uniuoca sunt; ut quę nomẽ animalis inter se commune habeat, & definitionẽ quoq; eiusdem notæ cõmunis, quæ est essentia corporea animata, sentiens, gressibile, pariter admittat. Neque inter species alia maius, alia minus est animal, ut omnes cuiusque prędicamenti species ad suum quæq; genus, eaq; indiuidua ad suas species accommodata uniuoca sunt.

(DENOMINATIVA porrò.) Denominatiua propterea dicuntur, ꝙ sunt nomina deductitia, nimirum ab aliis nominibus primogeniis deriuata, cuiusmodi ferè sunt, quę Grãmaticis adiectiua appellantur. Hæc quoniam ferè accidentia sunt, atque ad eius prædicabilis naturam pertinent, segregãda fuerãt, definitionis huius documento, à primogeniis: quæ quanquam ipsa re accidentia sunt, partim corporis, partim animi, tamen secundum rationem uocis prædicationisq́, speciei naturam habent. Subiiciuntur enim generibus quæque suis, & de indiuiduis pluribus prædicantur, quæ est natura specierum. Deinde & illud monendum fuerat. Quanquam primogenia ac deductitia ad diuersa prædicabilia pertinent, ad id tamen prædicamentum referri. semper enim eius ordi

nis prædicamentum censendum est denominatiuum, cuius fuerit suum primogenium. Itaque cùm albedo ad qualitatis ordinem pertineat, eôdem quoque referendum est albus, albi canes, albescere, & cætera ex eodem fonte deriuata.

(PRAETERQVE nomen habent appellationem.) Nam particula hæc, præter nomen, in libris dialecticorum ex uitio sa Aristotelis interpretatione irrepsit. Etenim quod Aristoteles habet, *κατ' ὄνομα*, id est, secundum nomẽ, siue ad imitationem nominis, ipsi reddiderunt Præter nomen, manifesto certè errore, in hac defensione, cùm denominatiua habeant appellationem suam non Præter, sed iuxta primogenium nomen à quo deducuntur.

DE PRAEDICAMENTIS.



Οὐσία. *SSENTIA igitur res est subsistens & per se, quatenus essentia existens, alio non egens: tametsi ortui ac genituræ subsitet: sicut cum primùm producta est: nã solus Deus ortu caret, & propriè per se existit, quia ab omnibus quoddam absolutum ac seiunctum est: at reliqua prædicamenta circa essentiam. Nouem siquidem prædicamenta adsunt, & absunt præter subiecti, quæ est essentia, corruptionem: quippe quæ accidẽtis nomine nuncupatur. Magnum nanq; & paruum, quod quantum est in ui sua nõ* *Quantitas.* *persistit, quòd incrementum & diminutionem subeat ad corporis habitudinem. Continentia & parcitas, maior & minor, eodem manente subiecto, ut homine: pueri siquidem ad uirilem ætatem excrescimus, in eademq; essentia per-* *Qualitas.* *manemus, quantitate differentes. Itidem nunc album, nunc nigrum, idem cernitur qualitate distinctum, ubi eadem essentia. Et qui nunc amicus, mox inimicus, differt in eo* *πρός τι.* *quod Ad aliquid, cũ tamen essentia non mutetur. Et nunc* *Vbi.* *quidem Placentiæ, nunc uerò Genuæ, quod Vbi est prædica*

dicamenti, nec alteram admittit essentiam. Præterit nunc, & idem manet quod erat subiectum, idq́; est Quando. *Modò stat, modò sedet, quod est compositum esse. Et armatum est, & inerme, quod est* Habere. *Cadit aut secat idem manens essentia neutiquam immutata, estq́; prædicamentum* Facere. *Et secatur quis aut cæditur immutata essentia, estq́;* Pati. *Decem uerò, nec plura sunt prædicamenta, id quod ex quadam certum est distributione, quæ est huiusmodi: Ens aut in subiecto est, aut non est in subiecto: quod in subiecto non est, facit essentiam: quod in subiecto, aut per se inspicitur, aut non per se: quod non per se, facit* Ad aliquid: *affecta siquidem sunt, quæ ad aliquid; ideo non per se spectantur, & alium referunt.* Filius *enim patrem refert, seruus autem dominum, & frater fratrem, & prorsus quæcunque sunt ad aliquid talia.* Quod *porrò per se, aut diuisibile est & facit* Quantum: *aut indiuisibile, & constituit* Quale. *Reliqua sex prædicamenta ex horum mistione gignuntur. Essentia nanque cum quanto mista uel in loco spectatur, &* Vbi *prædicamentum facit, uel in tempore, &* Quando *efficit: cum qualitate mista: uel actionem habet, estq́;* Facere: *uel passionem, & est* Pati. *Cum eo autem quod est* Ad aliquid *conueniens, uel in alio ponitur, &* Compositum esse *dicitur: uel ei accommodatur atque adijcitur alterum, estq́;* Habere. *Item circumpræhendit & facit habere. compræhendit enim tunica corpus: & uirtutes, & uitia animam. Rursus quemadmodum essentiæ, ita & quantitati nihil est contrarium, ob hoc inuicem communicantia sunt proxima.* Qualitas *anteit quod est ad aliquid: quoniam quale per sese est:* Ad aliquid *autem affectum, ac in relatione positum est. Reliqua his substruuntur.* Vbi *nanque præcedit* Quando: *quod*

Quando. συγκεῖσθαι. Habere.

locus immobilis, tempus uerò mobile: atqui quies motum præcedit, & principium ortum ipsum, & immobilitas motum. Facere antecedit pati, quoniam facere quàm pati nobilius est. Compositũ esse præcedit habere, quod poni quàm circumponi simplicius.

QVONIAM breuius prædicamentorũ naturas ac proprietates perstrinxit, quàm ut præceptio obscuritate non laboret ob nimiam breuitatem (id quod suprà nõ semel dictauimus) dialecticas uoces significatiuas, ut sunt significatiuæ, pertractãdas suscipit, atque adeò signa sine rerũ, quarum signa sunt, naturis proprietatibusque cognitis dignosci non possunt: quòd signorum cognitio ex rerũ, quas illa referant, cognitione pendeat, opera pretium se factururũ putauit Valla, si de essentiæ, deq; reliquorum prædicamentorũ rebus, quatenus res sunt, in hoc sequẽti capite accuratius perscriberet, & singulorum prædicamẽtorum proprietates, quibus inter se differunt, ex ipsis rerum discriminibus mutuaretur. Nam rerum discriminibus rectè perceptis, facile est eadem illa & in uocibus, quæ rerum sunt signa, animaduertere & sequi.

(CONTINENTIA & parcitas.) Ex causa probat quantitatem, eodem essentiæ subiecto manente, non eandem manere, sed augescere crescereq; pro continentia corporis uiui, aut parcitate, nunc maiori, nunc minori. Neque ita accipienda sunt uerba Vallæ, quasi continentiam & parcitatem quantitatis exempla ponat, sed qui has ceu causas proponat quantitatis maioris aut minoris. Quantò enim continentius uixerit aliquis, tantò minorem corporis molem facit: alioqui continentia & parcitas in uirtutum genere sunt, uirtus autem ad qualitatem pertinet.

QVOD porrò per se,) Essentiæ, quatenus essentia est, proprium non est in parteis distrahi posse, id est diuidi; alioqui & spiritus & Deus, quæ essentiæ sunt, ipsi partitioni essent obnoxii. At neque spiritus, neque deus partibilis est. Vnde sequitur ea tantùm distrahi posse, quæ quãta sunt, hoc est, quę subiiciuntur longitudini, latitudini, ac profunditati, quæque numero sunt multa, qualia sunt corpora rerum naturalium, oculis ac sensibus exposita. Omnis ergo partiendi facultas quantitati debetur.

(ET constituit quale.) Quanquam enim qualitas, ut albor in pariete, diuidi posse uidetur, tamē ipsa diuisionis uis, & facultas quantitatis quæ inest parieti, ingenio propriè debetur: nisi enim paries longus, latus, & profundus esset, non haberes quod distraheres.

(VEL in loco spectatur.) Locus enim est species quantitatis. Definit nanque Aristoteles locum esse superficiem corporis continentis. Sic aquæ superficies locus est nauium: & aeris superficies est locus auium uelocium. Ergo si rerum latitudinem, qua continentur essentiæ, id est, attingūtur, ambiunturque, consideres unà cum essentiis quæ ambiuntur, existunt ex hac coniunctione quantitatis & essentiarum appellationes uariæ locorum, quæ quo ordine digesta κατηγορίαν Vbi constituunt. **Locus.**

(VEL in tempore.) Tempus, docente Aristotele, supputatio quædam eius motus, qua circumagitur machina cœli, quæ sua perpetua uertigine describit nobis horas, dies, menses, annos, lustra, ætates, secula.

(CVM eo autem.) Sensus est horum obscurissimorū uerborum, si cōiungas essentiam cum his rebus, quarum omnis natura est ad aliud referri, qualia sunt locus, uestimentum, pars, totum. Tum hoc autem sic fit, ut certum situm habeat essentia, unde existit categoria generum ac specierū situs, ut sunt sedere, stare, incumbere: dextrorsum, sinistrorsum, ad orientem & occidentē, supinū esse, & similia situs discrimina: aut ut ipsi essentiæ aliquid tale certo modo circumponitur, quales uestitus, armatura, unde est categoria uocū ad habitū pertinentium, quæ à genere suo summo habitus appellatur.

(ET uirtutes & uitia.) Suspicor hanc clausulam à sciolo quopiam, qui categoriæ uim huius non intellexerit, primùm adscriptam, pòst librariorum uitio in contextum irrepsisse. Neque enim uel uirtutum, uel uitiorum uocabula ad hāc categoriam pertinent, sed ad qualitatem sunt referenda, ut supra in Quinque uocum tractatu, posteaquam rationem numeri Quinque uocū reddiderat, subiecit & causam, propter quam ordine illo Quinque uocum doctrinā digessisset. Ita hic quoque post redditam causam numeri decem prædicamentorum, addit cur hoc ordine, ueteres ipse imitatus, Categoriarum tractationem instituerit.

QVID PRAEDICAMENTORVM CVILIBET SIT PECVLIARE.

Rursus essentiæ suum & peculiare est non suscipere magis & minus; non enim magis animal homo quàm equus. Qualitatis autem suscipere magis & minus: album siquidem magis & minus dicitur: ita cætera accidentia qualitatis. Quantitatis proprium est æquale & inæquale, ut palmus, ulna: ut tres tertiæ ulnæ unius, uni ulnæ æquales, & quinque & decem inæqualia. Vt bis quinque ipsi decem æqualia. Eius porrò quod est Ad aliquid proprium est opposita colligere: Nam patre existente, est etiam filius: & domino existente, est seruus. Vbi proprium est comprehensio, sicut ipsius Quando, non permanere, sed effluere. Facere est actio, ut pati Paßio. Compositum esse est proprium situs, ut Habere, adiectio.

(RVRSVS essentiæ suum & peculiare est.) Quoniam eius qui uerum Dialecticæ fructum perceperit officium est, ad quod quæque uox prædicamentum pertineat (quanquam quæ suprà dicta sunt huc quoque pertinent) uisum est tamen Vallæ operæpretium, se ad ea quæ tradita sunt cuiusque prædicamenti proprietates subiicere, explicareq;, quæ uelut notæ sunt, ad quas respicere oportet eum qui quanq; uocem, quæ in disputationem suscipitur, ad quod prædicamentum pertineat, certò pronuntiare statueréque debeat.

Quantitatis proprietas. QVANTITATIS proprium est æquale, &c.) Hæc est nota qua depræhenduntur uoces ad quantitatem pertinentes, si secundum ipsas æqualitas, aut inæqualitas rerum susceptarum, cùm æqualia sint, quæ parem habeant quantitatem *ut collatum stadium spatio ducentûm passuum, inæqualitatem facit, collatum autem centum uigintiquinque æqualitatem constituet.

Diuinare, imò affingere cogebat mutilũ quo utebamur exemplar.

(EIVS porrò, quod est Ad aliquid pro.) Hic intellige, cùm uox aliqua significatiua necessariò secum alteram trahit ad quam refertur, & ex qua ueluti pendet, qua nota depræhen

præhendis quæ uox ad relatiuorum ordinem pertineat: ut, seruus collocandus est in his quæ ad dominum referuntur. Serui enim appellatio necessariò secum trahit dominum: & uicissim dominus seruũ. Talia sunt uocabula cognationum, affinitatum, contractionum, societatúmque omnis generis.

DIVISIONES PRAEDICAMENTORVM.

Diuiditur autem essentia in corpus & uacans corpore. Corpus in animatum, & anima carens. Animatum in sensibile & sensu uacuum. Sensibile in animal & zoophytum. Rursus animal in rationale & ratione carens. Species autem ultima, ut homo, in indiuidua, ut Socratem, Platonem, Georgium, Eucarpum. Quantitas diuiditur in lineam, superficiem, corpus, locum, tempus, numerum, & orationem. Et quantum quidem aliud est continuum, aliud discretum. Continui quinque sunt nominatæ species: discreti reliqua duo, numerus & oratio. Rursus quanti quoddam est situm habentium ad se inuicem earum quæ in ipsis consliterunt particularum, ut linea, superficies, corpus, locus: quoddam non habentium situm, ut numerus, tempus, & oratio: nam licet tempus sit continuum, nõ tamen etiam habet positionem, quòd non perstet: at quod non perstat, quo pacto positionem habere poterit? Rursus à quanto quatuor effluunt mathematicæ. nam continuum uel immobile est, & Geometriam facit: uel mobile, & procreat Astronomiam: discretum uel per se se inspicitur, & facit Arithmeticam: uel ad alterum affectionem habet, & facit Musicam. Qualitas diuiditur in habitum & affectionem, paßibilem qualitatem, & paßionem, potentiam, & impotentiam, figuram, & formam. Habitus est intentio affectionis & in sese permanentiæ ex iugi & exercitata actione, ut in naturam transire uideatur, & quædam com

Eßentia diuisio.

Qualitas.

Habitus.

parata usu natura. Habitus etiam nomen obtinent, quæ à natura sunt nobis insita, nedum affectione: ut uisus & cæteri sensus. Paßiua qualitas similiter est paßionis incrementum, intensióque difficulter delebilis, planéue indelebilis. Non defuerunt philosophi, qui moribus pariterque disciplinis habitum dicerent: paßiuámque qualitatem in ira, odio, reliquisq; perturbationibus ex languore. Caliditates porrò & frigiditates nūc in habitu & affectione ponerent, nūc in paßiua qualitate & ægritudine: & proinde à participando habitus uel affectio iure dici uidetur caliditas: ab alterando autem paßiua qualitas uel paßio. Potentia, ut in infante cùm dicimus cursorem uel iracundum esse: potentia grammaticum uel musicum uel astronomum, & omnino eorum quæ in præsentia nō poßit exercere: at temporum accessu contingens, ut id poßit efficere. Impotem uerò eum, qui capax non est natura ad aliquā olim obeundam actionem: ut homini uolare impoßibile est, & aquilæ in aqua uitam ducere, & equo sermocinari, & cætera quæ factu impoßibilia. Figura dicitur linearis effictio, reique alicuius expreßio. Forma prominens qualitas, substantiáue & idea, & informatio, & interpolata coloratio. Sunt qui figuram in rebus accipiant inanimatis: Formam uerò in rebus animatis. Alij figuram quidem fastigiose procedentem: Formam uerò supernam uocant superficiem. Ad aliquid generalius distributum, quadrifariam diuiditur. Cui sententiæ Grammatici quoque astipulantur: in naturam, fortunam, artem, & propositū. Vbi distribuitur simpliciore modo in sursum, deorsum, antè, ponè, dextrorsum, læuorsum. Sed singula uariam habent affectionem: nam eius quod est sursum, multæ differentiæ, in nubibus, in æthere, in astris, ad polum, supra polum. Similiter

Paßiua qualitas.

Potentia.

Figura.

Forma, id est, συμμετρία.

Relatiuum

Vbi.

Similiter deorsum: & reliqua in infinitum particularioribus locis euariantur. Quando autem diuiditur in præsens, præteritum, & futurum tempus. Præsens indiuiduum, reliqua diuiduntur. Facere distribuitur in rem, & orationem, & sensum interiorem. Actio per manuum exercitiũ, perq; instrumenta omnia: & horũ singula in suas actiones: sermo in omnium rationũ idiomata: interroganti nanq;, quid hic mihi facit? occurrimus, sermocinatur, disserit, intelligentia excutit. Pati in ea quæ in anima sunt; & quæ in corpore, quæ paßiones sunt infinitæ. Compositum esse distribuitur in statum, seßionem, recubitum: quorum singula suas habent differentias. Nam status est uel in tota planta, uel in extremis digitis, uel geniculantibus, uel ascensu æquali uel inæquali: ambobus pedibus, uel uno cruris nixu. Seßio quo que recta, prona, supinata, alterna poplitis in genua mutatione, & similibus. Recubitus pariter supinus, pronus, obliquus, atque ita in cætera. Compositum esse quoque est uidere: ut in aceruo frumenti, arenæ: ut in oleo, aqua, & similibus. Ex uarijs agendi figuris. Habere distribuitur, sicut inarmatum, uel quomodocunque tectum esse. Permutatione aliqua aut impositione: ut in modio, in fidelia, reliquisq; uasis: dicimus nanque modium habere triticum, uinumue habere fideliam. In posseßionem: ut cùm quis habet opes, iugum fert, uel habet, & similia.

Quando. Facere. Pati. συγκεῖσαι Habere.

QVANTITAS diuiditur.) Diuidit genus quantitatis simpliciter in species, quod genus partitionis tamen sine culpa sequitur, cum differentiæ, per quas alioqui genera commodius diuiduntur, idoneæ non suppetant. Tametsi in hoc genere nihil fuerat huc confugere, quando Aristoteles differentias quantitatis binas ipse reliquerit explicatas, quas & Valla deinceps breuiter perstringit, quod si quis co-

Quantitatis diuisio.

gitando altius inuestigarit, inuenerit triplex quantitatis discrimen, ut quantitas: uel sit in extensione, cuius species sunt linea, superficies, corpus: uel in successione, id quod est tempus: uel in discretione, unde existunt numerorum species, & mensuræ uocum humanarum, è quibus deinceps innumerabiles propemodum species propagantur.* Antequam ad generis huius indiuidua deuenias, quod apertius ex ipsa prædicamenti huius descriptione, ueluti tabula ob oculos posita cognosces.

(LOCVS.) Quanquam locum speciebus quantitatis Aristoteles adnumerat, estq; locus aliud re ipsa nihil, quàm superficies corporis continentis, tamen quia appellatio loci libera nō est, sed alterum, nimirum locatum refert, quod ex eo pendet, aptius multò dirigentur locorum uocabula, uel in categoriã eorũ quę sunt Ad aliquid, uel ipsius Vbi genera.

(RVRSVS à quanto.) Ostendit quibus disciplinis subseruiat κατηγορία quantitatis. Nam cùm omnis disciplina tradatur partim definitionibus, partim etiam ratiocinationibus, atque hæ tractari nequeant, nisi ab eo qui cuiusque rei genus ac species complectatur, quam facultatem pręstat categoriarum cognitio: quicquid Mathematici differunt de longitudinibus, ac cæteris magnitudinibus, item numeris, hoc totum ex quantitatis ferè categoria petitur.

(VEL ad alteram affectionem.) Musica sonorum distinctiones, hoc est, numeros, tractat, atque aliud nihil facit, quàm quod numerorum uires ac naturas in sonis expendit secundum consonantiam ac dissonantiam, quamobrem disces hic quòd uocabula & geometrica, & astronomica, & arithmetica, denique musica, quæ Euclides, Ptolemæus, Boëtius, Iordanus, cæterique Mathematici persequuntur, ad hunc quantitatis ordinem sunt referenda.

Qualitatis diuisio. (QVALITAS diuiditur.) Scopus fuit Aristoteli ad hunc modum qualitatē diuidenti, uelut locos quosdã ostendere earum uocum quæ ad qualitatis categoriã pertinerent, tametsi solita sua obscuritate rem per se obscuram & nouam obscuriorē reddit. Sentit enim quòd omnia uocabula, quibus facultatē uel cognitionis, uel honesti ritè nominamus, sub hoc genere qualitatis sint dirigenda. Talia sunt scientiarum artiumque omnium: item uirtutum ac uitiorum nomina.

na. Nam ab his rebus omnibus, quales quidem appellamur. Quærenti enim, qualis hic homo? rectè respondebis: est doctus, medicus, iurecõsultus, theologus, uerus, uanus, castus, libidinosus. Porrò affectionẽ, quam alii dispositionẽ uocãt, hic intellige propensionem quandam siue corporis, siue animi, & uelut præparationẽ, quæ tanquam gradus quidam sit ad iustam perfectionem siue scientiæ, siue uirtutis. Ergo quæ uoces ingenii propensionem inclinationemque significant (ut dotalis) eę quoque ad qualitatis gregem sunt referendę.

(HABITUS est.) Sic mobilitas agilitasque digitorum, affectio est & dispositio ad artem pulsandi citharam, quam si iugi exercitatione intendas atque augeas, fiet ex affectione habitus, id est, prompta & expedita facultas, quoties uelis, citharam pulsandi, ut non tam arte quàm natura contigisse tibi eam uim uideri possit. Idem censendum est & in cæteris facultatibus usu uenire.

(PASSIVA qualis similiter.) Passiones intellige aduentitias affectiones permotionesq; temporaneas siue corporis siue animi. Corporis, ut calor, frigus, albor, nigror, si subitò obtingant aduenianteque. Animi autem, ut ira, odium, gaudium, lætitia, spes, metus. Nam hæc & similia pro tempore & accedunt & recedunt. Sentit ergo Valla harum passionum confirmatam consuetudinem, qua homines denominentur, constituere speciem qualitatis. Nam si subitò talia recedunt, non denominant eum cui obtingunt. Neque enim qui ira tangitur, continuò iracundus dicitur, sed apud quem ira desidet, & uelut passionem habet, is propriè iracundus dicitur. Cuius generis denominationes pertinent ad hoc genus passiuæ qualitatis.

Qui animi morbi radices egerunt, quiq; sint tẽporanei, uide Cicer. in 4. Tusculanquæst.

(PASSIVAMQVE qualitatẽ in ira.) Hoc est, eã quæ facit sensum pati afficique, ut pallor ex timore, cuius generis sunt colores, soni, ac frigiditates. Breuiter quæcunq; aliquo sensuum percipiuntur, quorum omnium uoces in hunc commu nem locum passiuæ qualitatis pertinent. Porrò quod iram, odium, inuidiam, ac similes animorũ affectiones, itidem in ordinem appellationemq; passiuæ qualitatis redegit Aristoteles, hæc accidit, quòd denominatiua horum, ut iracundus, iucundus, liuidus, & similia, ab animi passionibus affectionibusq; proficiscuntur. Sunt autem animi affectiones, odium,

ira,

ira, inuidia, liuor, non aliter atque corporis affectiones sunt, calor, frigus, albedo, nigredo.

(CALIDITATES porrò, & frigiditates nunc in habitu & affectione ponerent.) Scilicet si quando sic considerentur, eorum ratio haberetur, ut ad patiendum aliquid, aut perficiendum, uel præparationem, uel facultatem habeamus. Tametsi sententia Vallæ mihi in nullo neque ueterum, neque recentium scriptorum lecta est, hoc tantum scio, quòd Aristoteles calore affici corpus obiter docet, tractans primum genus qualitatis, ut hinc colligi posse uideatur, calorem, ut est præparatio ad habitum aliquem aduentitium, siue sit in morbis, siue in partibus, ad primum illud genus referri posse.

(POTENTIA ut in infante.) Sentit Aristoteles etiam ad qualitatis categoriam pertinere eas uoces, quæ significent naturalem quandam siue indolem, siue inicitiam, appetitionem, procliuitatemque ad aliquid, uel artificii plenum, ad tempus conficiendi uel patiendi quippiam, cuius generis Græcis sunt notiora uocabula, ut δρομικοὶ, πυκτικοὶ, διδακτικοὶ, γραφικοὶ, ad cursum, ad pugilum artem, ad discendum, ad picturam idonei per naturam, qualia sunt Latinis edax, bibax, uorax, emax, loquax, docilis, facilis, comprehensibilis, ductilis. Tum quæ his sunt contraria, naturalem quandam infirmitatem, ineptitudinemq; ad aliquid significantia: ut mollis, quod infirmum significat ad resistendum, implumis, infacundus, inamœnus, infestiuus, indocilis, morosus, difficilis, asper, & si qua sunt similia, quibus abhorrentem à re quapiam indolem, naturalis facultatis infirmitatem significamus. Et sanè tot sunt huius generis loci, quot sunt artes uirtutesque, ad quas homines per naturam uel compositi, uel incompositi depræhenduntur, quare hæc ratio maximè petenda ex physiognomia Aristotelis, in qua animantium, præcipuè uerò hominis, indolis discrimina nominatim tractantur, qua de re aptiùs in discriptione fabulæ.

Figura. (FIGVRA dicitur linearis effictio.) Cuius generis sunt figurarũ Arithmeticarũ, Geometricarumq; uocabula, ut triangulus, quadrangulus, ἑξάεδρος, hoc est, cubus, sphæra, orbis. Nã quòd hæc omnia ad speciẽ hanc pertineãt, argumẽto est, quod Mathematici hæc omnia ceu per figurã, ceu genus definiãt, cùm

cùm dicunt: Triangulus est figura, tribus angulis æqualibus inclusa. Obstat quòd eædem hæ uoces, si ut spatia magnitudinis significant, considerentur, in quantitatis prædicamento collocentur.

(AD aliquid generalius.) Ad genus naturę pertinēt agnationum cognationumq; uocabula & affinitatum: hæc enim omnia naturalem sanguinis coniunctionem significant, pater, filius, socer, gener, nepos, auus, patruus, matertera, neptis, auunculus, glos, leuir, nurus, &c. quæ Iureconsulti persequuntur in doctrina successionis hæreditariæ & gradibus. Ad fortunæ autem locum collocandæ sunt seruitutis, dominii, possessionis, & similium coniunctionum uocabula, ut dominus seruus, herus minister, princeps subditus, patronus cliens, & si qua sunt alia fortunarum necessitudinumque nomina. Ad artem porrò pertinent (ut exemplis agamus) præceptor discipulus, imperator miles, architectus, aliaque, quæ suam significationem aliunde ueluti mutuantur, quando omnis artifex operis alicuius est artifex: & omnis qui docet aliquid, & ab alio discit, tot sint relationes, quot sint species artium, quibus docendis discendisque opera hominum coniunguntur. Proposita denique sunt uoluntariarum necessitudinum appellationes, ut amici, inimici, hostes, pacati, coniuges, contubernales, uicini ac similium nominum, quæ coniunctionem aliquam inter homines consultò susceptam declarant.

(QVANDO autem diuiditur.) Species enim præteriti temporis sunt, modò, dudū, heri, nudiustertius, nudiusquartus, ab hinc mensem, ab hinc biennium, centum ab hinc annos, & similia discrimina, quæ utcunque circunloquendo explicamus. Itidē futuri tēporis species sunt, paulò pòst, statim, post horam, ad uesperam, cras, perendie, proxima septimana sequenti mense, annos post decem, quę rationes pertinent propriè ad Chronographos obseruatores supputatoresque temporum. *Quando.*

(FACERE distribuitur.) Primus locus categoriæ ipsius actionis sumitur ab ipsa re, quam faciamus agamúsue, ut fabrificare, ædificare, cōponere, statuere, serere, metere, quod genus distinctius explicaueris, si singularum artium & rusticarum & mechanicarū locos feceris, & quodq; genus faciēdi *Facere.*

per

per instrumentorum, quibus fiat, uarietatem, in species distribuas. Tales loci, agrum colere, architectari, fabricare, nauigare, sarcire, lauare, pingere, fingere, fundare, texere, conflare, quæ omnia secundum materiam diuersam, & instrumentorum, quibus utuntur opifices, uarietatem, deinceps diuidi possunt. Nam infinitæ sunt species huius categoriæ, cùm actiones ipsæ sint infinitæ.

(ET orationem.) Sensus est, alterum caput esse sumendum à facultate loquendi. Loqui enim species est ipsius actionis, ad quem locum pertinent sermocinari, disputare, disserere, definire, diuidere, ratiocinari, contendere, asseuerare, affirmare, negare, optare, precari, petere. Latinè loqui, Græcè, Germanicè loqui.

(ET sensum interiorem.) Sentit enim uerba, quibus actiones interioris hominis, id est, animi, declarauimus, item pertinere ad hanc categoriam, cuiusmodi sunt intelligere, imaginari, decernere, cogitare, statuere, dubitare, credere, sperare, & similia multa; quæ singula deinceps diuidi possunt in species, donec ad indiuidua deueniatur.

(PATI.) Breuiter eadem est ratio categoriæ huius species deducendi, quam tradidimus explicuimusque esse actionis. Cuique enim actioni respondet sua passio. Diuide ergo passionem secundum discrimen earum rerum quæ fiunt. Fiunt autem opera uaria manuariis artibus. Item dicũtur multa & diuersa: fabricantur denique in omni officina, quæ uarietates diuersas faciunt species passionis. Sed & huc pertinent quæ de generibus motionum disputant Philosophi, ut mouere, generare, corrumpere, augere, minuere, de loco in locum transferre, atque horum passiua.

(HABERE.) Tot sunt species habitus, quot sunt figuræ tum armorum, tum uestimentorum, quæ à corpore habentur. Huius generis significat loricatum esse, galeratum, pileatum, tunicatum. Breuiter appellationes uestium & armorum in hanc categoriam sunt digerendæ. Item habere dicimus permutatione aliqua, quomodo uir habet uxorem, uxor uirum.

DE QVAESTIONIBVS.



Xpositis simplicibus rebus ac uocibus, de quibus omnis oritur ambiguitas, consequens uidetur, ut ambiguitatū, siue quæstionum genera ostendamus, quæ ueterū consensu Philosophorum, aut soli deo, uel naturæ cœlesti sunt cognita, aut omnibus obuia, aut solis peritis hominibus explorata. Quæ soli naturæ cœlesti cognita, nefas indagare: quæ omnibus certa, delirū est disputando exquirere. Sola restent igitur peritis duntaxat explorata, ratione & intelligētia patefacere, quorū ratio est omnino quadripartita. Quæritur siquidē, an sit, quid sit, quale sit, & cur sit. An sit, ut Vlysses Aiacē occiderit. An ultra Indiam sint populi. An Genua à Magone Pœno sit diruta, & à Romanis restituta. Quid sit homo, quid sit eclipsis, quid sit continentia, quid sit electrum. Quale sit: ut, qualis sit Indica natio, qualis fuerit Plato, qualis Nardus Celtica, qualis Neroniana uita. Cur sit: ut, cur cœlum rotundum: cur homines ciuitates condiderint: cur leges, quibus tenerentur, sciscendas esse existimauerint, cur Gallorum rex in Italiam duxerit exercitū. Proinde, An sit, coniectura explicatur hoc modo: ut cùm quæritur naturáne sit ius inter homines, an opinionibus: aut cùm quæritur, quæ fuerit origo cuiusque rei, ut, quæ origo Grammaticæ aut Rhetoricæ, disciplinarúmue reliquarum: aut de interitu, ut num sit in homine uirtus interitura. Quid sit, definitione explicatur: ut cùm quæritur, quid sit iustitia, quid sit sacrilegus, quid sit æther: propriúmne sit rectè loqui grammatici: & ornatè dicere sit'ne proprium oratoris; aut quot sint partes orationis, quot sint uirtutū genera: aut si quæritur, quæ sit natura auari, seditiosi, gloriosi, insulsi. Quale, sit'ne appetenda gloria, an expetenda

Vide Quintil. li. 3. c. 8.

An sit.

Quid sit.

Quale sit.

da pecunia. laúsne an opes magis expetendæ. num fugienda paupertas. æquúmne sit ulcisci iniurias. Honestúmne sit gloriæ causa mortem obire. Cur sit, finem spectat, & coniectura explicatur.

Cur sit.

EXPOSITIS simplicibus rebus ac uocibus.) Est autē quæstio sententia cum nota quærendi, id est, dubitandi proposita. Sunt autem particulæ quibus quærimus, an, utrum, quid, cur, quo modo, quale, quod genus, quæsitiua nomināt Grammatici. Sic quæstiones sunt, An Deus sit, qualis sit uita Dei, cur mundus sit creatus, an utiles literæ, an Reip. noxii mercatores, an ducenda uxor studioso.

(CONIECTURA explicatur.) Id est, quadam ingenii sagacitate, qua adiuuatur doctrina locorum post tradendorū. Quod enim est sagittariis, quorum studium est scopum ferire, directo cōtentoq; arcu, hoc est ueri inquisitio fortuita ingeniis sagacium hominum. Et ut sagittarius non semper ferit scopum, ita nō semper uerum in causis dubiis disputationis contentione appræhenditur. Quamobrem hæc inuestigatio ingeniosa quæ per singulos locos, & uelut mentis tela in causæ scopum dirigit, coniectura dicitur. Translatio est sumpta ab iisdem sagittariis, qui cùm multa tela iniiciant, simulque emittant, non tamen semper omnes feriunt.

Cōiectura. Quintil. li. 3. cap. 7.

LECTORI SALUTEM.

Pietatis quodam in Remp. literariam affectu commoti, Dialecticas Mosellani commentatiunculas intermori non sumus passi: posthumas quidem illas, ita tamen genuinas, ut præter postremam autoris manum nihil in ipsis desideres. Nam quemadmodum in rebus humanis posthumi, licet summa enutriantur cura, fieri tamen uix potest, quin germanæ aliquid remittant indolis, quæ superstite parente ad maturam poterat peruenire frugem: sic in hac quoque causa, æquus lector non statim cœlum terræ miscebit, si lucubratiunculas istas autorem parentemq; suum non per omnia exprimere uiderit, quin potius reputabit secum, archetypi copia destitutos nihil temere uoluisse conari, quippe qui tutius rati, maioremq; nos apud studiosos inituros gratiam, si fidem magis quàm temeritatem præstaremus. Vale, & nostram operam amplectere.

DE SEDIBVS ARGVMENTORVM, PARITERQVE ARGVMENTIS.



Osteaquam quæstionũ genera cognita sunt, ut omnis soluatur ambiguitas, opus est argumentis: quæ ut arte deprahensa teneantur, quibus de locis eruantur, incipiendum est. Et *quoniam dialecticorum seu probabilium cupis habere cognitionẽ, demonstratiuorum & sophisticorũ locos missos faciemus, quos tibi in nostro magno licebit opere* Expetendorum *ac fugiendorum intueri: nunc demũ probabilibus erimus contenti.* Sunt ergo Loci, *unde probabilia educuntur argumenta, argumentorum ipsorum sedes; quorum alios extra dicendi rationẽ ad id quod in controuersia positum est, comprobandum, accipimus. alij, quos ex causa trahimus, illos artis expertes, hos artificiales solemus appellare.* Ex illo priore genere *sunt, præiudicia, rumores, tormẽta, tabulæ, iusiurandũ, testes.* Ex altero *sunt, ex toto, ex partibus, ex nota, ex cõiugatis, ex genere, ex forma, ex similitudine, ex differentia, ex contrario, ex adiunctis, ex antecedentibus,* **ex consequentibus, ex repugnãtibus, ex caussis, ex effectis, ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum.**

Locorũ Diuisio ex primo Rhetoricorũ Aristotel.

ἄτεχνα.

ἔντεχνα.

DE INARTIFICIALI probatione.

P*Ræiudicium itaq; dicitur res, quæ cùm statuta fuerit, affert iudicaturis exemplum quod sequantur: ut à senatu aduersus* Milonẽ. *Confirmantur præcipuè duobus, auto*

Definitio. Asconij Pediani.

ritate eorum qui pronuntiauerunt, & similitudine rerũ de quibus quæritur. Erit ergo à præiudicio argumentum huiusmodi: Senatusconsulti de hac re præiudiciũ latum est: non est ergo quod de ea plura dicamus: nam aduersus consulta Senatus, decretáue Principum uel magistratuum, remediũ

Rumor. nullum est. Rumor ac fama publicum testimoniũ est: quod qui uult infringere, sermonem uocat sine ullo certo autore dispersum: cui malignitas dederit initium, incrementum credulitas, quod fraude inimicorum alicui possit accidere innocentissimo.

βάσανος. A tormentis probamus, cùm dicimus inuentam eiusmodi quæstionem ob uera fatendi necessitatem. Contrà tormenta dicit ipsa esse plerunque causam falsa dicendi: quod alijs patientia facile mendaciũ faciat, alijs infirmitas necessarium.

συγγραφαί. A tabulis, aut pro tabulis, aut cõtra tabulas, quas scimus refelli ac recusari, id notius est argumentandi genus, quàm ut pluribus hoc tẽpore uideatur explicandũ.

μάρτυρες. A testimonijs argumentamur, circa quæ patronis causarum sudor. Pro testimonijs, & cõtra testimonia quo pacto argumentandum, res ipsa nos admonebit. A iureiurando argumentabimur, magnum momentum uideri, à uiri autoritate inductum, aut à uiri improbitate refellemus.

DE PROBATIONE ARTIFICIALI.

PErulgata satis hæc sunt argumentorum genera quæ artis dicuntur expertia: & ex ea quæ agitur causa, facile nobis suggeruntur: quare ad artificialia transeamus.

A toto. A toto igitur ducitur argumentum, cùm quod in quæstione positum est, definiendo comprobamus. Definitio propriè per genus & differentiam fit: ut, homo est animal rationale: rhetorica est ars bene dicendi. Sed aliquando loco definitionis utimur descriptione: ut homo est animal bipes, cuius

caput

caput in cœlum attollitur, & binæ ab humeris dependent manus, & eo modo reliqua. Si ergo quæstio de toto aliquo, ea definiendo diluitur. Est *autem definitio, ut* Plato *inquit, breuis oratio, subiectæ rei naturam ostendens. Vt autem Aristoteles: Definitio est oratio, quæ id quod definitur, explicat quid sit.* Hæc *igitur propriè per genus & differentiã ut diximus, id facit.* Sed *aliquando etiam diuidẽdo, ut genus in species: aliquãdo partiendo, ut totum in partes: ut si fuerit quæstio de animali, quid sit, de toto animali quæritur. per genus ergo & differentiam definiendo diluo quæstionem, cùm dico, animal est substantia animata sensibilis: diuidendo autem idem ostendo obliquè dicendo, animal est quod partim in terris, partim in aquis, partim in aëre uitã ducit.* Partiendo *hoc modo: animal est quod anima constat sensibili & corpore. Aliquando definimus à contrarij remotione, ut* Horatianum *illud:* Definitio. ὅρος ὁνομάτων. κατ' ἀφαίρησιν τοῦ ἐναντίου.

Virtus est uitium fugere, & sapientia prima,
Stultitia caruisse.

Si fuerit ergo quæstio an concha maris sit animal, à toto, nempe ab animali traho argumentum per definitionem, dicendo: Animal est substantia animata sensibilis: Concha maris est substantia animata sensibilis, ergo concha maris est animal. Ex *partium enumeratione trahitur argumentum: ut si quæratur an montis crypta sit domus, diluitur quæstio hoc modo: domus constat solo, fundamẽto, ac parietibus consurgit: & tecto superne contegitur, crypta non est huiusmodi: non ergo domus. A nota uerbi seu etymologia locus ducitur argumenti, cùm quod in quæstione positũ est, etymologia dissoluitur: ut si quæratur de quopiam an sit locuples, ab etymologia argumentabor hoc modo: Locuples est qui locis abundat: abundat autem locis ille: est ergo locuples.* Potest *& per negationem comprobari: ut quod* Ab etymologia. Plin. lib. 18. cap. 3. Gell. lib. 10. cap. 3.

ex humo non est, id non est homo: non est autem ex humo anima, non ergo anima est homo. A coniugatis. Coniugata dicuntur quæ sunt ex uerbis generis eiusdem, ut prudens, prudentia, prudēter: ut si quæratur de quopiam sit ne prudens, arguetur esse hoc modo: Prudenter agit, ergo prudens est. Ita, iuste agit, ergo iustus. ager est compascuus, ergo licet compascere. A genere. Sicut à toto diximus partes comprobari partiendo, ita à genere species diuidendo comprobamus. Nam cùm Rhetorica in partes diuidatur, inuentionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, & pronuntiationem, si quid fuerit harum partium, ostendemus esse inter partes rhetoricæ collocandum. At cùm eiusdē artis sint species, demonstratiua, deliberatiua, iudicialis, in quas Rhetorica genus diuiditur: ostendemus si qua oratio structa in harum aliqua fuerit specie, totam eò confluere Rhetoricā, & partes ipsius ibidem inueniri. Et si quis moriens legauit argentum uxori omne suum, quæratur, num etiam numerata domi pecunia legata sit, à genere eruetur argumentum hoc modo: Omne argentum uxori legauit maritus: atqui numerata domi pecunia argentum est, ergo & numerata domi pecunia legata est. A forma, siue specie est, cùm sicut à partium enumeratione totum comprobari diximus; Ita à specie genus demonstratur: quæ hoc modo distinguuntur. Si totum uelimus ostendere, omnes nobis partes sunt ostendendæ: nam si orationis partes non octo, sed pauciores attingamus, non poterimus omnem orationem illis concludere. Velut si Rhetoricam tanquam totum quoddam uelis per inuentionem, & dispositionem compræhendere, non posis. Contrà uerò ipsam tanquam genus ostenderis, una duntaxat expressa specie, uel iudiciali, uel deliberatiua, uel demonstratiua, ut rhetorica de-

Marginal notes: A coniugatis. — A genere. — A forma.

præ

præbenditur, ubi iudicialis fuerit oratio. Vt quoniam Respublica ueterum fere consensu tres habet species, quæ populi, quæ paucorum, quæ unius potestate regatur; ad genus quod est respublica, constituendum una horum satis erit. A similibus argumentum est; ut si continentia uirtus A similibus. *est, & abstinentia. Si fidem debet tutor, & procurator. Ac sicut in inductione, de qua post, ubi de argumentatione. Interrogando: ut, prudentiane est uirtus; & iustitia non est? Item si feræ partus suos diligunt, quánam in liberos nostros indulgentia esse debemus? A differentia. Non si læti-* A differentia. *tia bonum, & uoluptas. Non quod mulieri, idem & pupillo. Si barbarorum est in diem uiuere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent. Ac in utroque genere & similitudinis & dissimilitudinis exempla ponunt oratores ex aliorum factis, aut dictis, aut euentis, fictæq; narrationes plerunque ponuntur. A contrario: Si Gracchus* A contrario. *nefarie, præclare Opimius. Si frugalitas bonum, cur nõ malum luxuria? Si malorum causa bellum est, erit emendatio pax. Si ueniam meretur quod imprudens nocuit, non meretur præmium qui imprudẽs profuit. per interrogationem, ut Horatianum illud:*

Descriptas seruare uices operumq; colores,
Cur ego si nequeo, ignoroq;, poëta salutor? Et rursus:
Cur nescire pudens praue, quàm discere, malo?

Ab adiunctis, Si pietati summa tribuenda laus; debetis Ab adiunctis. *moueri, cum Q. Metellum tam pie lugere uideatis. Si bonum iustitia est, recte iudicandum. Si malum perfidia, non est fallendum. Quod quis non habuit, quomodo perdit? Quem quis amat, sciens non lædit. Quem quis hæredem suum esse uoluit, charum habuit. Ab antecedentibus. Si uiri* Ab antecedentibus. *culpa factum diuortium: & si mulier nuntium remisit,*

tamen pro liberis manere nihil oportet. Si natum est, morietur. Si multis cumulabat officijs, diligebat, colebat.

A consequentibus. A consequentibus, Si & ferro ille interfectus, & tu inimicus, & cum gladio cruento comprehensus in illo ipso loco, & nemo praeter te uisus est, & causa nemini fuit occidendi, & tu semper audax, quid est quod de facinore possimus dubitare? Item ut pro Oppio Cicero: Quos educere inuitos in prouinciam non potuit, eos inuitos retinere qui potuit? Consequens enim est eos qui inuiti duci non potuerunt, inuitos non potuisse retineri. Rursus: Si portorium Rhodijs locare honestum est, & Hermocreonti conducere. &, Quod discere honestum est, & docere. Idem efficit Domitij Afri sententia: Ego accusaui, uos damnastis. Consequensque, Natus est, ergo morietur.

ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα, id est, sub eandem rationem cadentibus.

Ex repugnantibus. Ex repugnantibus: Qui sapiens est, stultus non est. Crassi illud: Non si Opimium defendisti Carbo, idcirco te bonum ciuem putabant: simulasse te, & aliud quidem quaesisse perspicuum est: quod Gracchi mortem saepe in concionibus deplorasti: quod P. Africani necis socius fuisti: quod eam legem in Tribunatu tulisti: quod semper a bonis dissensisti. Et per interrogationem, unde peracuta afferuntur enthymemata: de quibus mox, hoc modo: Paucos ciues metuis occidere: ne Respublica intereat, nihil allaboras? Hunc quem non accusas, damnas: & quem de te bene meritum autumas esse, male mereri acclamitas? Item id quod scis, prodest: & id quod nescis, non obest.

Ex causis. Ex causis: ut, Auaritiam si tollere uultis, mater eius tollenda luxuries. Si sapientia bonum uirum facit, bonus uir est utique sapiens: ideoque boni est honeste facere, mali turpiter. &, Qui honesta faciunt, boni: qui turpia, mali recte iudicantur. Hoc genus ad exhortandum plurimum ualet, uirtus laudem

laudem facit, sequenda igitur: at uoluntas infamiam, fugienda igitur: Scientia gloriam parit, discendum igitur. Imperitia rerum contemptum gignit, uitanda igitur. Ex effectis non difficile fuerit trahere argumẽtum: nam ut causa quid sit futurum indicat, ita quod effectum fuerit, causa demonstrat. Dies est, ergo sol lucet super terrã. Peperit, ergo cum uiro concubuit. Hic locus oratoribus & poëtis, & quandoque philosophis, ac eis omnino, qui ornatè & copiosè loqui possunt, suppeditat mirabilem copiam dicendi, cùm denuntiant quid ex quaq; re sit futurum. Causarum nanq; cognitio cognitionem facit euentorum. Suas tamen effectorum causas oportet adducere: nam sicut corpus in lumine umbram necessariò facit, & ubicunque est umbra, ibi esse corpus ostenditur: ita necessarium non est, ut qui coloratus, à sole sit. Iter quoq; puluerulentum facit, sed non omne iter puluerem mouet, neque quisquis puluerulentus, ex itinere est. Ex comparatione maiorum; Si bona existimatio diuitijs præstat, & pecunia tantopere expetitur, quantò gloria magis expetenda est? Item: Si quis sacrilegium facit, faciet & furtum. Si adulterum occidere licet, & loris cædere. Ex minore;

Ex effectis.

Ex comparatione.

Hic paruæ consuetudinis
Causa, mortem huius tam fert familiariter,
Quid si ipse amasset? quid hic mihi faciet patri?

Rursus: Qui facilè ac palàm mentitur, peierabit. Iterum: Si furem nocturnum occidere licet, quid latronem? Ex pari: ut, Est eiusdem & eripere contra Rempublicam, & largiri pecunias. Iterum: Qui ob rem iudicandam pecuniam accepit, & ob dicendum falsum testimonium accipiet. Rursus: Quæ pœna aduersus patris interfectorem iusta est, eadem aduersus matricidam iustè infligitur.

QVI LOCI QVIBVS CONgruant quæstionibus.

Ex Ciceronis Topicis & Quintil. libr. iij. capite viij. item li. vij. Coniectura finitiones.

MEmorati hactenus omnes loci ad quæstiones plerasq; sed alij ad alias aptiores. Ad coniecturam igitur maxime apta, quæ ex caussis, quæ ex effectis, quæ ex coniunctis sumi possunt. Ad definitionem autem pertinet ratio, & scientia definiendi, atque huic generi finitimum est illud, quod à Cicerone appellatur de eodem & de altero: quod genus forma quædam est definitionis. Nam si quæratur, sit'ne idem pertinacia & perseuerantia, rex & tyrannus, tutor & curator, definitionibus iudicandum est. Loci autem conuenient in definitione consequentes, antecedentes, repugnantes, & adiuncti: & præterea qui ex caussis & effectis: ut si hanc rem illa sequitur, hanc non sequitur: aut si huic rei res illa antecedit, huic non antecedit: aut si huic repugnat, illi non repugnat: aut si huic rei hæc, illius alia caussa est: aut si ex alio hoc, ex alio illud effectum est, ex quouis horum id de quo quæritur, idém ne an aliud sit inueniri potest. Ad tertium genus quæstionis, in quo quale sit quæritur, cadunt quæ in comparatione sunt memorata, quæ expetenda, quæq; fugienda, animi, corporis, & externa commoda uel incommoda. Cùm de æquo & iniquo quæritur, æquitatis loci colliguntur, qui sunt & natura & instituto: natura, ut quilibet sua tueatur: instituto, aut lege, aut pacto, aut moris uetustate confirmata. Omnia suggerunt nobis argumenta. Itidem pietas, sanctitas, iustitia, aut æquitas, amentatas nobis ad ineundum certamen hastas abundè suppetunt. Quarto generi, cur sit, conueniunt omnes qui coniecturæ loci sunt à nobis dicti. Deniq; cùm sint quæstionum genera duo præcipua: unũ infinitũ, quod thesin Græci, nostri propositum: alte

Qualitatis

Iuridicialis

alterum finitum, quod illi hypothesin, nostri causam uocant: ac de primo satis multa hoc tempore dictum sit: paucis secundum quoque concludamus, quod solùm temporis, personæ, lociq; complexu continetur.

DE QVAESTIONE CAVSAE.

Rebus itaque in omnibus argumentamur, aut ex eo quod personis, aut eo quod negotijs attributum est. Personis quidem attribuuntur, nomen, natura, uictus, fortuna, habitus, affectio, studia, consilia, facta, casus, orationes. Nomen, quo singuli nominantur proprio ac certo uocabulo ab eo sæpe etiam poëtæ aliquod sibi assumunt ad probandum improbandúmue argumentum, ut Plautinum illud in Bacchidibus, Ex primo Rhetoricorũ libro Cicer. Personis qui loci. Nomen.

Adeón' me fuisse fungum, ut qui illi crederem,
Cùm mihi ipsum nomen eius Archidemidis
Clamaret, ademptùrum esse si quid crederem?

Loci quoq; nomen præbet argumentum: ut idem poëta in fabula quæ Menæbmi inscribitur:

Propterea huic urbi nomen Epidamno inditum est,
Quia nemo fermè huc sine damno diuortitur.

Natura aut diuina, aut humana: humanæ una uirilis, altera muliebris. Natio quoque, ut Græca Latináque, aut Barbara. Patria, ut Genuensis an Veneta. Cognatio, ut qui maiores, qui consanguinei. Aetas, puer an adolescens, uel natu grandior, præbent argumentum. Commoda quoque & incommoda in natura considerantur, animo corporiue insignita: ut ualetudo, imbecillitas, longitudo, breuitas, forma, deformitas, uelocitas, tarditas, acumen, hebetudo, memoria, obliuio, comitas, officium, prudentia, patientia, et contraria, & denique talia omnia quæ à natura inuehuntur. Natura.

Nam similes parentibus ac maioribus suis sæpe filij creantur, ut inde honestè turpiterque uiuendi causæ fluant. Sui quoque nationibus & gentibus sunt mores. Patria, quoniam ciuitatū leges sunt, & instituta, & opiniones. Sexus, ut latrocinium facilius in uiro, ueneficium in fœmina credatur. Aetas, quia aliud alijs animis magis conuenit. Educatio & disciplina, quoniam refert plurimum à quibus, & quo quisq; sit institutus. Ducitur quoq; in argumentum, species libidinis, robur petulantiæ.* Educationis locum ex Cicerone reposuimus. Atque in uictu hæc spectabuntur, apud quos, & quo more, & cuius arbitratu sit educatus, quos habuerit artium liberalium magistros, quos uiuendi præceptores, quibus amicis utatur, quo in negotio, quæstu, artificio sit occupatus, quomodo rem familiarem administret, qua consuetudine domestica sit. In fortuna, seruus an liber, locuples an pauper, priuatus an cum potestate, et ea iurene an iniuria: felix & clarus, an cōtrà. Quales liberos habeat: & si de mortuo quæritur, quali morte decesserit. In habitu, ut trahi argumenta inde possint consideratur animi aut corporis constans, & absoluta aliqua in re perfectio, uirtutis artisue alicuius perceptio, corporis quoque aliqua commoditas, nō natura data, sed studio & industria parta. In affectione animi aut corporis ex tempore aliqua de causa commutatio: ut lætitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas, & id genus alia. In studio, quod est assidua & uehemēs uoluntatis in re aliqua occupatio: ut grāmatica, rhetorica, geometria, mercatura. In consilio quod adhibuisse uideri potuit ex eis quæ tentauit aut peregit. In factis, in casu, in oratione, quid fecerit, quid acciderit, aut quid dixerit. Hæc ac talia personis deputantur: unde uis argumentorum non parua erui potest.

Locorum natura tractatus hisce inclusus stellis ex Fabio adiectus, textū occupasse uidetur.

* Apud Fabium legitur habitus corporis: ducitur enim frequēter in arg.

Fortuna.

Habitus.

Affectio.

Studium.

Consilium.

Factum.

Loci

LOCI NEGOTIIS ATTRIBVTI.

IN negotijs quid antecesserit, quid in re ostendatur, quid consecutum sit spectatur, causa quoq; omnium consideratur. Capitur argumentum à loco, à tempore, à modo, ab occasione, à facultate, ex opportunitate inquam loci, ex magnitudine, ex interuallo, loginquitate, propinquitate, solitudine, celebritate: & natura loci commoda, uel incommoda ad id perpetrandum, de quo est quæstio. In tempore, interdiu an noctu: præsens, præteritum, futurum suggerit argumenta. Nam iam diu facta, in fabularum uidentur numerum peruenisse. Consideratur etiam quid ocyus & quid ocyßime, aut contrà: uti magnitudo negotij, multitudóue melius colligatur. Occasio est tempus habens in se alicuius rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem, ac sicut in tempore spatium, ita in occasione spectatur opportunitas, hæc aut publica, aut cõmunis, aut singularis. Publica, ut ludi, dies festi, nundinæ, bellũ. Commune, quod stato sit tẽpore: ut meßis, uindemia, æstus, frigus. Priuatim, ut nuptiæ, funus, cõuiuiũ, somnus. In modo, quemadmodũ, & quo animo factum sit, auguramur. Cuius partes, prudentia & imprudentia, inscitia, casus, neceßitas. In facultatibus, quomodo facilius confici uel non confici, de quo quæritur, potuerit. Hi ferè & consimiles sunt loci, unde educi ferè ad omnem diluendam quæstionem possunt argumenta.

Locus. Tempus. Occasio. Modus.

DE LOCATIONE ARGVMENTATIONIS.

SVperest ut de argumentationum locatione dicamus. In qua re tractanda, ne ex facili difficilem faciamus aggreß

aggressum, multa (meras planè præstigias) omittemus, quæ ad argumentandum mentem non modò non explicant aut adiuuant, sed implicant atque præpediunt. Quis nanque hypotheses (suppositiones nominare solent isti) citra cuiuspiam traditionem proponere non cognouerit? aut propositas, confusa omni abacta barbarie, non deprehenderit? Nam proponentem, omnis homo, est omnis homo, quis non cernat falsum enuntiare, idque ex loquendi more? terminorum expositionem, uerborum & orationum interpretationem solent barbari homines appellare: quæ prorsus ridicula, sermonúmque laruæ quædam sunt, quod ab usu omni remotæ ciuili sint. Deinde hæ, si quæ paulò remotiores fuerint loquendi consuetudines de grammatica facultate usúque dicendi clarißimorum autorum, facillè percipi poßunt, atque innotescere: ut non Aristotelicum, non Platonicum, non cuiusquam alterius eminentis philosophi iudicium hæc iure attingenda censuerit. Facessant ergo ista à nobis quoque, quæ differentibus non tam prosunt, quàm officiunt. Quid porrò unamquanque rem consequatur, aut non consequatur, Consequentias isti uocant, memorandum existimarem, nisi apud prudentes, non inquam stolidos, me facere uerba cognoscerem: quibus, modò in uerbis caligo nulla, ambiguitas nulla occurrat, quidnam demum potest occurrere? Reliquum igitur est, ut ea duntaxat prosequamur, quæ ad argumentationis structuram faciunt, quæ doctißimi etiam philosophi quique aperienda putarunt. Quæ eatenus negligenda non sunt, quatenus eis quæuis diluitur ambiguitas, si modò certis definitisq; rationibus concludantur. Cùm igitur omnis argumentatio rebus & uerbis constet, ac de rebus satis dictum: superest ut uerba & uerborum structuram ostendamus.

mus. Argumentosæ igitur cuiuslibet orationis, duæ omnino sunt partes, nomen & uerbum. Siquidē quæcunq; istis adijciuntur, non tam partes quàm partiū adminicula, & ueluti pedamenta quædā nominanda sunt. Nomen ut Plato. Verbū, ut disputat: ut sit explicata oratio, Plato disputat. Accidentia orationis sunt, Vniuersalis, Particularis, Indefinita, Singularis, quæ quantitatem exprimunt. Vniuersalis, ut, quilibet homo est risibilis, Indefinita, homo est risibilis. Particularis, Eucarpus ratiocinatur. Singularis, hic ambulat. Item, ut sit aut simplex, aut connexa. Simplex, ut, dies est. Connexa, ut si dies est, nox non est. Necnon negandi, aut aiendi qualitate insignitur: ut, Eucarpus legit, Eucarpus non legit. In quibus omnibus bini considerandi sunt termini: qui subiecti ac prædicati nomine iam recepto apud omnes solent nuncupari. Est autem subiectum, de quo aliquid dicitur, quod subsideat paßionibus; ut, Eucarpus ridet. Est siquidem Eucarpus, in quo ridendi paßio. Prædicatum ipsum est uerbum in quo inclusa ea paßio, quæ inesse cuipiam dicitur. Nec audiēdi qui trifariè partiuntur orationem, in prædicatum, subiectum, & copulam: copulam uerbum ipsum iuniores appellando. Quid enim magis ridiculum est, quàm ita omnem resoluere orationem, ut pro eo quod est, Plato disputat, dicas, Plato est disputans, consuetum, loquendi modū peruersè, barbarè, rusticeq; immutando? Quàm enim ridiculum sit, loquendi modū ab ijs potißimùm discere uelle, qui ipsi loqui nesciunt? nā cùm dico, Plato scribit, id scribit dialogos, pro una re ac paßione accipio, quæ de Platone dicitur, prædicatumq; id totum nominandū. Sicut nihilominus cum dico, Plato est philosophus: quippe quòd id ipsum, est philosophus, res una est, tanquam sit uoce una enuntiata. Mens siquidem humana ita planè conci

Nomen.

Verbum.

Accidentia orationis.

Subiectum.

Prædicatū.

concipit non minus, quàm si adhuc plures adijcias passiones: ut, Plato est philosophus, disputator egregius. Facessant ergo nugatoriæ ac prærancidæ tales resolutiones, quæ orationes enormant, disputantem implicāt, & rerum propemodum nullam secū afferunt explicationē atq; commoditatem. Ex ijs itaq; connexa oratio, enuntiatio nūcupatur.

Enūtiatio. Propositio Assumptio. Complexio.

Ea in argumentatione ut syllogismo collocata, si in primo loco propositio, si in secundo assumptio, si in tertio connexio, uel complexio à priscis linguæ Latinæ uiris, à iunioribus mendosè cōclusio solet appellari, ut si quæstio oriatur, sit ne utilis dialectica: texatur hoc modo epichirema: Vtilis est quæuis scientia uerū à falso discernens: hæc propositio. Est autem huiusmodi dialectica: hæc assumptio. Ergo utilis Dialectica: hæc complexio. Omnium porrò enuntiationum (ex quibus quæ in subiectis sunt passiones indicantur) quædam citra medium ullum fidem faciunt, à cunctisq; hominibus receptæ sunt; quædam non omnibus: Quæ igitur ab omnibus receptæ sunt, quòd fidem secum ferant, nominantur à Græcis Axiomata, à Latinis autē, effata & communes notiones: ita nanque ueteres: iuniores uerò, animi conceptiones. Quæ porrò non omnibus insident, nec satis receptæ sunt, sed quibusdam duntaxat, theses Græcè, Latinè positiones appellantur. Quæ unumquodque astruunt, definitiones dicuntur. Quæ uerò ex alio aliud pronuntiant, communi nomine hypotheses. Hypothesium autem quædam ueræ & creditæ ab eo qui discit admittuntur, ob capiendam scientiam: aliæ nō creduntur. Quæ itaque creduntur discentibus, admissæ proprio nomine, æquiuoco generis hypotheses: quæ uerò non creduntur, petitiones dici solent. Ex his igitur orationibus omnes texuntur argumentationes. Argumentationū genera sunt duo, Syllogismus seu Epichirema

ἀξιώματα. θέσεις. ὑποθέσεις.

Argumentationum genera.

ma Græce: at Latine hoc aggreßio, ille ratiocinatio: & Epagoge à Græcis dicta, à Latinis inductio. Ex syllogismo fit Enthymema, quod commentum nominamus: sicut ex inductione exemplũ atq; similitudo. Syllogismus itaq; ut dictum est, oratione siue simplici siue connexa constat tripli ci. Prima, propositio: secũda, assumptio: tertia, cõplexio appellata: qui cum pluribus fiat modis, eos lõgius prosequendos nõ ducimus: tũ quia simplicẽ arguendi quæris callẽ (ut rhetores quoq; docet, & sequũtur oratores) nõ per multarũ disciplinarũ inuios anfractus te uelis detorquere: tum quia, si modò id scire concupiscas, poßis ex magno nostro opere Expetendorũ ac fugiendorũ, perexiguo negotio quicquid uelis tibi depromere. In totũ, omnis argumentationis ratio hoc habet, ut tribus limitibus constet: uno, quẽ indubitatũ esse cõuenit: altero, qui medius est: tertio, qui ex consensu fit utriusq;: ut omne animal est substãtia animata sensibilis: hic caret controuersia. Crocodilus est substantia animata sensibilis: hic medius limes, extrema cõnectens. Ergo Crocodilus est animal: hic ex consensu superiorum conficitur. Ex syllogismo Enthymema cõficitur. Id de propositione aut assumptione concluditur: ut si probabile texas argumentum hoc modo: Aeschinæ tradenda non est pecunia: quãdo pecuniã capiens Pysistratus tyrannidẽ occupauit. Vel hic noctu obambulat, fur ergo est. Inductio autẽ ex pluribus, aut exẽplis, aut similitudinibus cõficitur. Si de hominibus, exẽpla sunt: sin de cæteris, similitudines. Velut si fuerit quæstio, an is demũ homo dicendus sit generosus, qui clarißimo natus genere, per inductionẽ argumẽtabor hoc modo, Quisnam clitellarius mulus generosus est, nónne qui ingentia subuectat onera? quis dorsuarius, nónne qui greßu incedit lenißimo? nõ qui de stirpe ortus clarißima. Pomum

Enthymema.

Inductio.

quod

quod uocabis generosum, nónne quod saporis electißimi? nõ quod de pulcherrima arbore, aut de amœnißimo decerptum loco. Ita ergo hominem, quem generosum uocaueris, nónne qui de uirtutibus nobilitatus est? non qui maioribus ortus sit enimentißimis. hæc inductio. Exemplum est, ut à priuato homine Gracchus mediocriter statum Reipublicæ labefactans, impune occisus est; & Consul Cicero Catilinam orbem terrarũ subuertentẽ, impune non occiderit? Similitudo quoq; de rebus eodẽ modo cõparatur, atq; extruitur.

EPILOGVS.

HAec habui, Bernarde Saluatice, quæ de argumentandi ratione, quam tantopere efflagitabas, ad te conscriberem. Quæ si aliquibus in locis paulo minus tibi obuia uidebuntur, debes cogitare, nullam esse disciplinam, quæ aliquo non egeat interprete. quãquàm si crebrius repetantur, non dubitem fore tibi apertissima, præsertim si ab huiusmodi exercitatione non abhorreas. Vale.

FINIS.

